
Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LIV
E
36
NAPOLI

Digitized by Google

L.I V. E. 36.



Naratio.

Expeditionis in vtramque Auſtriam & Bohemiam.

EPHEMERIS

Qua

BREVISSIME ET VERISSIME DESCRIBITVR QVICQVID (SECVNDVM PACIFICATIONEM AD VLmam inter Catholicos & Proteſtantes Imperij VII. Viros, Principes, & Ordines factam) in prouincia ſupra & infra Anaſſum & reliqua omni Auſtria atque Bohemia geſtum eſt, vſq; ad diem quo Sereniſſimus Princeps Maximilianus Com. Pal. Rheni vtr. Bauariæ Dux, poſt cōmiſſæ ſibi ab Cæſare prouinciæ munus feliciter confectum, Monachium Principum ſedem Victor eſt reuerſus.

EX DIVERSIS COMMENTARIIS CERtisq; & fide dignis ſcriptis depromta & literis concinnata, atq; ad pleniorem planioremq; rerum cognitionem quatuor tabulis are eleganter deſcriptis, qua rem totam oculis ſpectandā ſubiiciunt exornata, cum chorographica membrana, qua expeditionis totius iter locáq; omnia, quibus quaque res geſta eſt, exprimuntur.


MONACHII,

Impenſis Raphaelis Sadeleri, Sereniſsimi Boiorum Ducis Chalcographi.

M. DC. XXI.







CVM PRIVILEGIO CÆSAREO AD DECENNIV.

LECTORI S.

CVM præteriti anni expeditio in Auſtriam & Bohemiã ſuſcepta, à variis vario genere linguarum, variante ſæpe & vacillante calamo, ſit deſcripta & in lucem protruſa (vti apud Gothardum Arthus in Mercurio Gallobelgico, Latomum, Francum, Meurerium, Gaſparſenium, Londorpium videre eſt) hæq; deſcriptiones multis & miris inter ſe modis in rerum geſtarum enarratione diſcrepent, & diſsideant, ſępéque procul à vero abeant, atque inde ſequatur, vti non ſolùm præſens ætas, ſed omnis etiam ſequẽtis æui poſteritas falſis opinionibus

imbuta in errorem inducatur, viſum eſt, Ephemeridē (ſeu Diurnale, quod & Diurnum & Diarium vulgo appellant) quā, quid quóque die actū peractúmque eſt, veriſsimè exponeretur, edēdā. cui tāto maior fides eſſe debet, quantò longiùs ab omnib⁹ partium ſtudiis & affectibus, incertisq́ue vel hominum ſermonibus vel communibus paſsim rumoribus in literas relatis & ſparſis, fictisq́ue & quotidianis fabulis nonnullis, aut proprij cuiuſq; cerebri phantaſmatis abeſt, cùm non niſi ab iis, quamuis breuiſsimè, tradātur, qui res vel ipſi geſſerunt vel geri coràm pręſentes ſpectarunt, & narrationem ſuam nihilominus aliorum judicio cenſuræq; ſubiecerunt, vt liber hic publica auctoritate cenſus, emendatus, & probatus in publicum prodiret, 16. Maij. Anno 1621.

IVNIVS. 1620.

BREVIS & ſuccincta veráque & ſincera narratio expeditionis ab Sereniſſimo Principe Maximiliano Com. Pal. Rheni vtriuſq; Bauariæ Duce, &c. Ferdinandi II. Imperatoris Auguſtiſſimi, Vngariæ & Bohemiæ regis auſpiciis, in vtramq; Auſtriæ prouinciam ac demum in Bohemiam ſuſceptæ, quæ quid anno P. C. N. cIↃ IↃc xx. ab x. Cal. Iul. ad x. Cal. Decembr. quotidie geſtum effectumque ſit, deſcribitur & explicatur.

Principio viſum non eſt hoc loco commemorandis iterum expeditionis huius cauſis, exponendóque quid Iunio menſe ad Vlmam cum Proteſtantium Principum Ordinúmq; Imperij fœderata factione tractatum ſit, quæque legationes miſſitatæ, q̃ literæ Noribergæ, Monachij, & Wirtzburgi inter Catholicos & Proteſtantes vltrò citroque commearint (quamuis ſuſcepti belli ratio ex illis primum exorta, ſicut & ab illis qui anno cIↃ IↃc xIIx in Bohemia tumultus extitere, initium ſumſerit) lectorem diutius diſtinere, cùm hæc omnia in publicas jam antè literas miſſa ſint, & in hominum manus data, Germanicaq;

1620. Latina & Gallica voce copioſè deſcripta & conſignata, quibus nēpe conditionibus, pactis & conuentis vtrinq; actitatúm, vbi ſimul expoſitum fuit, quid juris vtriq; tam Catholici quàm Proteſtantes pro ſua quiſq; parte in medium adduxerint, cum vtraque pars naturæ legibus & gentium jure, ad ſui facti æquam verámque defenſionem vteretur & niteretur, omnem enim belli apparatum, cōquiſitionem & delectum militum, præſidiorum curam, eò ſpectare affirmabant, vti ſuum quiſque jus obtineret & defenderet. Inde ſecutum eſt vt vtrinque ſibi partes cauere, arma parare, militem conquirere cœperint, literis interim obteſtati, hæc omnia ad ſui defenſionem, non verò eo animo fieri, vt pars altera alteram læderet: donec tandem factio Proteſtantiū, hac obteſtatione poſthabita, eas quas Imperator & fœderata Catholicorum ſymmachia copias è Belgicis prouinciis aliíſque regionibus conſcripſerant, omnibus viribus, (contra quàm ſuis literis prius obteſtati fuerant, quamuis aduerſariis ſingillatim cautum eſſet, innoxias per eorum terras, vrbes, & opida, Catholicorum copias tranſituras) in Franconia, & Alſatia intercludere conata eſt, ſimúlque conteſtata ſe potius quicquid haberet populorum, terrarum, & virium in medium belli diſcrimen adducturam, quàm militem ad Cæſarem vel fœderatos Catholicorum Principes tranſire paſſuram, quanquam ibi locorum, quo militi Cæſariano & Catholicorum tranſeundum erat, nihil pænè de territorio Proteſtantium, aut certè vix extremæ oræ tangendæ erant. Et licet tandem poſt tot ac tam varia obiecta impediment (inter quæ non extremum fuit, quòd aduerſus aduenientem militem etiam in alieno ſolo excubias collo-

collocarint, quòd omne fœderatorum Catholicorum 1620.
nomen falſis criminationibus & Cæſari ſuſpectū reddere conati ſint, & Catholicos Principes pro hoſtibus Imperij & Reipub. traduxerint, tractarint, proclamarint) militi noſtro Nonis Iuniis certis legibus aditus patefactus tranſitúsque datus ſit, extemplò tamen coniuncti Proteſtantium Principum ordines, quas per otium legiones conſcripſerant, ad Vlmam cum equitatu contraxerunt, & conuentum ibidem celebrarunt. Quæ res fœderatis Catholicorum Principibus & ordinibus & præſertim vicino Boiorum Duci Sereniſſimo Maximiliano non immeritò curam iniecit, vti ſibi ſuíſque prouideret & caueret, præſertim cum Proteſtantium cohortes ſenſim ad Boiariæ fines magis magíſq; accederent. Iuſſit igitur Sereniſſimus vt ad eundem locum & ſuæ ipſius & Catholicorum Principum copiæ ſeſe transferrent, ibiq; vlteriora Imperia expectarent: Qui eadem opera etiam Vlmam (vbi regis Gallarum id tēporis magnifica legatio præſens fuit) legatos miſit, qui & Sereniſſimi & reliquorū Principum Catholicorū nomine à Proteſtantibus peterent, quo animo in Sereniſſimū Principem Boiariæ & eius conſortes & fœderatos eſſent, quando & militem præſentem haberent, & tumultus quoque Bohemicus vltra iam regni fines & ſocias prouincias, atq; finitimas hinc inde regiones paſſim ſeſe extenderet: cui legationi etiam illud nō paruam dedit occaſionem, adeoque legatis Bauaricis ſingillatim iniunctū fuit, vt exquirerent à Proteſtantibus, bellúmne Catholicis facere, quod ſub finem prioris anni minitari videbantur, an verò aliò, & quò tandem illorum conſilia ſpectarent, & quo exercitum deſtinare atque conuertere vellent?

Quæ

1620. Quæ dum in conſilio Vlmæ tractantur, res tandem, poſt varios conuentus & diſceptationes in pacem magis quàm bellum inclinare viſa eſt, niſi quod quædam in conſultationem ſimul inciderint, quæ difficilem exitum habitura videbantur; quorũ præcipuum fuit, quòd vix inter partes conuenire potuerit, qua ratione altera pars alteram ſecuram reddere deberet, vt id de quo inter partes tranſactũ eſſet, abſq; vlla controuerſia ratum haberetur. Vbi ſimul Sereniſſimũ Boiariæ Principem Proteſtantium ordines vehementer vrgebant, vt Sereniſſimus Albertus Auſtrius iiſdem legibus quibus fœderati Catholici cum Proteſtantibus tranſigerent, teneretur, id quod in eum finem adeò vehementer vrgebant, ne fœderati Proteſtantes haberent quod ex illa parte timerent, adeoq; tutius vires ſuas in defenſionem Palatini, prout neceſſitas poſtularet, conuertere poſſent. Inſtabant etiam acriter, vti Sereniſſimus Maximilianus onerum grauiſſimorum querelis iam antea Monachij à Proteſtantium legatis depoſitis quamprimum mederetur, ſponderétque ſuo & fœderatorum Catholicorum Principum nomine fœderatis Proteſtantibus ſe, ſi quacunque de cauſa, quandocunque ſeu mox ſeu deinceps aliquando quiſquam ex Proteſtantibus publicis tabulis ab Cæſare proſcriberetur, demandatam proſcriptionem non executurum, ſed potius operam daturum, vt omnibus modis eiuſmodi proſcriptiones ſi aliquæ à Cæſare aliquando emanarent, impedirentur.

Ad hæc Princeps Maximilianus; pleraque eorum quæ peterent, negauit ſuæ poteſtatis, imò ſe de corpore Romani Imperij, eiuſque membrum eſſe; ſibi vt Principi &

& Ordini reipubl. parendum, ſi quid imperaretur: pro inde ſe fœderatóſq; Catholicorum ordinum, in pacificationis publicæ cauſa nihil Proteſtantibus horum præſcripſiſſe, quæ extra illorum facultatem eſſent, par eſſe vti neque ſibi, neque ſuis quicquam præſcriberetur, quod intra ſua jura & ditionem non eſſet: Non poſſe ergo de iis quicquam vel polliceri vel præſtare qui fœdere Catholicorum ordinum non continerentur, quique ſua & maiore poteſtate & imperio pro ſuo arbitratu vterentur, quibus ipſe nihil haberet quod imperaret aut imperare poſſet. Quod ad proſcriptionis tabulas pertineret, videndum ipſis eſſe, ne quid in S.C.M.tem vel Sacri Imperij leges committerent, quo mererentur in eas proſcriptionis tabulas referri, ita & ipſis conſultum iri, ne quid durius in ipſos conſulatur, nec ſibi quicquam negotij datum iri quod exequeretur. Hæc ergo & hoc genus alia negotia cum grauaminum etiam querelis in alium locum & tempus, vbi omnia verius rectiúſque cum ſumma poteſtate decidi poſſint reiicienda eſſe. Quæ Sereniſſimi Principis Maximiliani pronunciata ſententia magnopere legatis quoq; regis Galliarum cõplacuit, quibus omnino viſum, in præſens à Principe Maximiliano & eius fœderatis nihil amplius exigendum, nec quicquam grauius ei præſcribendũ. 1620.

Pax ergo demum Vlmæ in eas leges inter Catholicos Ordines & Proteſtantes conuenit *vt (excluſis Bohemis, quæque Bohemis parent prouinciis, omnibúſque Sereniſſimæ Auſtriæ familiæ ſubiectis & hæreditariis populis & regionibus) nullus ex fœderatis Proteſtantium Septemuirûm Imperij, Principum & Statuum Ordinibus, vllum Catholicum Septemuirûm, Principem, ſtatum aut Ordinem fœderatum, vllo bellico apparatu, vel milite*

1620. *deducendo vel inuadendo, vel perturbando vel quauis re infeſtando offendat, parique lege nec Catholici fœderati, Principes & ordines Proteſtantium vlla ratione onerent, vexent, aut lædant, ſed optima fide pacem inter ſe concordiámq; colant & alant, vt omnes inter ſuos tutò & ſecurè degant; & vt quamprimum miles vtrinque ex fœderatorum prouinciis ſine cuiuſquam iniuria & offenſione abducatur, nec in eius locum alius in eiſdem collocetur. Vbi tamen cohortes militares per fœderatorum fines ad vnius alteriúſque fœderatorum vſum & neceſſitatem eſſent deducendæ, monitis prius vtrinque Ordinibus fœderatorum, tranſitus non negetur, ſic tamen vt maturè Principes & Ordines fœderati de milite deducendo moneantur, nec tum demum id fiat, cùm miles iam fines alterius attigit, aut in vicino eſt, ne ſubiecti vexentur & premantur.* Grauamina verò quæ appellant, vtrinq; propoſita, damna itidem ab vtraq; parte per militares profectiones data & accepta, præſertim quæ ad Suntheimium accidêre, in aliud tempus, quod penes neutram partem eſſet iis in præſens amoliendis poteſtas, reiecta ſunt.

Sereniſſimi Principis Maximiliani copiæ inter hanc pacis tractationē haud procul Lauinga in patente cāpo quà Gunzburgum ad Danubium ſpectat, caſtris poſitis triginta millium numerum iuſtè explebant. Equitum cataphractorū ſeu grauis armaturæ recenſi tria millia quadringenti; leuis armaturæ, quos Archibuſierios appellant, duo millia ſupra centum; pedites viginti quatuor millia, quingenti.

Cataphractis cum poteſtate præfuere.

Comes Lippius, }
Benighauſen tribunus. } ſinguli quingentis.
Comes Marcoſſayus. }

Ervvidt

1620.

Ervvidt tribunus.
Comes Wartenbergicus. } quingentis
Harſelles.

Herberſtorſius tribunus.
Cracius. } ſinguli duxere quadringentos.
Lindelo.

Nerſenius trecentos.

Pappenheimius.
Baro Moriamé.
Gumerſpachius. } ſinguli ducentos.
Croatæ.

Wippartus centum.

Pedeſtrium copiarum ductores fuere.

Haslangus ſupremus vigiliarum præfectus & legionis tribunus.

Comes Sulzius.
Comes Marcoſſayus. } qui ſinguli ſingulis legionibus, quæ tribus ſingulæ millibus conſtabant, præfuere.
Baro ab Anhold.
Rouille tribunus.
Mortaigne.

Herlebergius & Paurius. } ſinguli duo milia peditum duxere.

Theodorus ab Haimhauſen legionem habuit 1000. peditum. Ex Rhætis, vulgò Griſonibus, adfuere 600.

Centurio Premers.
Centurio Behmer. } his ſingulis parebant 300. pedites.
Centurio Neuman.

1620. Dum Vlmæ de pace & pacis conditionibus de quibus modò dictum eſt, conſilia ponuntur, Sereniſſimus
22.Iunij. Princeps Maximilianus x Calend. Iulij anni cIↃIↃcxx. Monachio mouit, rectà in caſtra profecturus. Sed cùm ad Aicham opidum quod tribus Auguſta, ſeptem Monachio milliaribus abeſt, perueniſſet, accepit literas ab ſuis legatis qui Vlmæ verſabantur, quibus docebatur, Proteſtantium fœderatorum Ordines Vlmæ nolle ab conditionibus pacificationi inſerendis (quæ ad Albertum Auſtriũ inter fœderatos referendum; ad proſcriptionem impediendam aut non exequendam; ad grauaminum querelas tollendas pertinerent) recedere, aut certè non diſertè & apertè reſpondere. Quibus renunciari iuſſit Princeps, vti ſumma ope contenderent, vrgeréntque quacúmque tandẽ ratione proteſtantes, vt liquidè & exertè, quid ſentirent aut recuſarent, teſtarentur. Quod ſi diutius rem in dubium & longam altercationem trahere conarentur, ipſi re infecta è ſenatu & conuentu Vlmenſi diſcederent, nec alias vllas conditiones, niſi quas antè ſine vllis exceptionibus præſcripſiſſet, admitterent. Miſit etiam IIX. Calend. Iulias in ſcripto, pacificationis formulam, quæ Proteſtantibus fœderatis exhiberetur, ne tota inuidia, ſi pax non conueniſſet, in ipsũ Sereniſſimũ Principem Maximilianum recideret, petiuítque vt ab Proteſtantibus eiuſdem exempli, ſi pax conueniſſet, conteſtatio redhiberetur, monebátque vti quamprimum de ſumma rerum decerneretur, quò ſciri poſſet, quo loco ſtatúque cardo rerum verteretur: ſimúlque ex Aicha Rhainium verſus, quod opidum propius hoſtes erat, cõceſſit, vt è loco propinquiore mandata ad ſuos ederet, Vlmenſémque conuen-

uentum ad finiendum conſilium & pronunciandam ſententiam vrgeret. 1620.

Sexto inde Cal. Quintiles Maximilianus Princeps Dilingam pontificis Auguſtani oppidum, quod ibi prætorium caſtrorum poſuerat, profectus eſt, vbi ſupremus ſuæ Serenitatis legatus militiæ Tillius ſe Principi, vt ab illo noua imperia acciperet, exhibuit. Præſtolatus ibidem ſuam Serenitatem Cæſaris orator Iohannes Georgius Comes Hohenzollerianus, cùm, quæ ab Cæſare in mandatis acceperat, expoſuiſſet, ad Saxonem Imperij Septemuirum Dreſdenam profectus, ibi quoque quod Cæſar ab illo Principe poſtulabat, retulit. Intercà loci, miles Lotharingicus, & quem ducebat Anholtus Baro Günzburgum peruenere, quo die toto Proteſtantium copiæ in armis & acie conſtitere. quo ſimul tempore Marchio Badenſis, qui Cæſareas & Bauaricas copias in Alſatia intercluſurum ſe iactarat, relicto aditu, ſe ad Anſpacenſem Marchionem contulit, cum eóque ſe coniunxit. 26. Iunij.

III. Calend. Quintiles Sereniſſimus in caſtra, quæ inter Lauingam & Gundelfingam, Neoburgenſis Palatinatûs opida, ſita erant, venit, duáſque legiones cum duobus millibus equitum, qui recèns aduenerant, in ordinem compoſitas coràm luſtrauit, & imperia inter duces diſtribuit, ſimúlque quid ex Vlmenſi conſilio adferretur ad 29. Iunij.

III. Nonas Iulias ibidem conſtitit, quo die legati Principis Comes Albigius Sulzius, Ioachimus Dornſpergius ſupremus Cancellarius & Laurentius Wenſinus Baro, Vlmâ reuerſi retulerunt, illa controuerſa capita *de Alberto Auſtrio regnóque Bohemiæ & dynaſtiis illis annexis, déque omnibus aliis regnis & prouinciis extra S. Romani Imperij fines ſitis, ita* Iulius.

1620. *compoſita eſſe, vt à fœdere vtriúſque partis excluderentur, liberúmque eſſet & Catholicis & Proteſtantibus quicquid vellent de illis pro vſu & ſtatu rei ſtatuere.* Ita fœdus vtrinque ictum & pax inter Catholicos & Proteſtantes fœderatos iis legibus quas ſupra expoſuimus, publica auctoritate firmata, tabulæque ex Catholicorum parte ab fœderatorum ſupremo capite & duce Sereniſſimo Principe Maximiliano, Proteſtantium verò nomine, à Principe Anſpachio Friderici Palatini tum adhuc Imperij Septéuiri, legato & copiarum Proteſtantium duce, conſcriptæ, ſignatæ, & vtrique parti contraditæ ſunt. Cùm ita pax vtrinque conueniſſet, ad quam plurimum operæ contulerunt Oratores regis Galliarum (qui mox icto fœdere per internuncium Suam Serenitatem, Principem Maximilianum oſculo dextræ venerati, viciſsímque ab illo conuenienti cultûs reuerentia per Palatinum adminiſtrum dignati, ſaluere & valere iuſſi fuerunt) ex vrbe ſe ad naues contulerunt, rectáque per Danubium delapſi, Viennæ Cæſarem, ad quem potiſſimû legati erant, conuenerunt. Princeps verò Maximilianus ex pacto tranſactæ concordiæ militem ſuum Günzburgo & Vlma pridie Nonas Iulias reuocauit, & equitatu partim Straubingam, partim Brunouium miſſo, ſex legiones Paſſauium Danubio deportari iuſſit.

10. Iulij. VI. Inde Idus Quintiles in apparatu nauium & imponendis copiis, equitatúq; terreſtri itinere dimittendo cõſumtus, quo die ſimul Iohannes Georgius ab Hohenzollern legat⁹ Cæſaris, de quo ſupra mentionẽ fecimus, (qui tantiſper in vicino hæſerat, dũ intelligeret, quis Vlmenſis conſilij fuiſſet euentus,) ad Saxonem Dreſdenam abiit.

Quem-

Quemadmodum verò, cùm de Illuſtriſſimi Marchio- 1620.
nis Spinolæ in Rhenum expeditione & aduentu rumor increbreſceret, Proteſtantium ordines perculſi, ad ineundā cum Catholicis fœderatis pacem, ne cum gemino hoſte ſimul pluribus locis decertandum eſſet, non leuiter impulſi fuere, cùm ea ratione factum eſſet, vt ſimul omnes vires ad Friderici Palatini prouinciā defendendā conferre poſſent, ita Ser.^mus Princeps Maximilianus in componenda ad Vlmam cum Proteſtantibus pace, eo conſilio videtur vſus, vt & ipſe & fœderati Principes ordinéſq; Catholici in ſuperiorib⁹ Imperij Romani prouinciis, extra belli & tumultuū pericula conſtituti, ad incendiū belli in Bohemia nati, quod per omne regnum latè graſſabatur, & vicinas etiam regiones ac populos afflare & corripere incipiebat, hoc certius & potentius opprimendum & extinguendum concurrerent. Nam facilè coniici poterat, nec dubium erat, quin ſacra inprimis Cæſarea Maieſtas ſuas hæreditarias prouincias, regiones, regna, & dynaſtias, quæ ab legitimo ſuo magiſtratu defecerant, poſt tot ac toties fruſtra tentatas & oblatas veniæ, gratiæ, & reconciliationis vias, vi & armis eſſet aggreſſura, & ad officium obedientiámque reductura, paríque modo eos, qui non ſolùm in Bohemia regnóque ſubiectis terris, ſed vtrâque etiam Auſtria, Prima inquam & Secunda, ac ipſis demum Pannoniis ſeu Vngaria tumultuari, ſubiectos Cæſaris infeſtare, & ad defectionem ſolicitare auſi ſunt, bello acerrimo vbicunque & quocunq; modo ac loco poſſet, perſecutura. Quod periculum tanto erat grauius præſentiúſque, quòd rebelles & contumaces Bohemiæ, & cum his coniurati ordines, extrema ſecuti,

1620. ſecuti, nullā pacis mentionem aliam admitterent, quàm quæ ad illorum guſtum, voluntatem, & arbitrariam libertatem faceret, ita vt nihil amplius ab his fœdifragis fideique deſertoribus expectandum eſſet, quàm vt barbaras gentes & nō ſolùm Imperio Germanico, ſed nomini quoque Chriſtiano infeſtas Nationes in Vngariam & Bohemiam & Germaniam in auxilium euocarent. Proinde Sereniſſimus Boiorum Princeps hæc omnia tanquam ex alta prouidentiæ ſpecula contemplatus, nō ſolùm ex ipſius Cæſaris (qui ad ſupremum totius Romani Imperij clauū ſupremus gubernator ſedet) mandato & imperio, ſed ad tuendum etiam ipſum Imperium, & eos præſertim qui velut alteri Vcalegontes proximi incendio & periculo fuerunt, quibus etiam apertè & Vngarorum & Tranſiluanorum irruptiones denunciatæ erant, animum vltrò adiiciendum putauit (q; & Saxonum Principi & Septemuiro Imperij cordi fuit, paribus rationibus & cauſis ad Rempublicam ſeruandam excitato) nec diutius conquieſcendum, ſed extremis malis, quæ ab Bohemis & eorum deſignato factionis duce imminebant, fortiter occurrendum, omniáque remedia ad rempubl. è medio flammarum incendio eripiendam tentanda. Quod niſi factum eſſet (cùm & ab ſeptemuiro Imperij ampliſſimo Saxonum Principe & magno Boiorum Duce, qui admiſſas in Imperio geminas duntaxat religiones ſequuntur, perduelles reipublicæ per literas & legatos frequentiſſimè & officioſiſſimè de officio nec quidquam admoniti eſſent) meritò apud omnem poſteritatem (neglectis boni Principis partibus, deſertâque patriâ) æternam ignominiæ notam contraxiſſent.

Qua-

Quapropter Boiariæ Princeps ad officium, ſibi ab 1620.
Cæſare commiſſum exequendum, legiones ſuas è Sueuia auocatas per Danubium ad primam Auſtriam quæ ſupra Anaſſum eſt, occupandam & aperiendum Danubium, quem hoſtes Imperij & Imperatoris clauſerant, demiſit. Nec Princeps diutius moratus III. Idus Quintiles Dilinga profectus ſalutatáq; Palatina Principe vidua Höchſtadij, propter Danovverdam, Neoburgum appulit, vbi à Wolfgango Guilelmo Palatino Neoburgenſi ſororis marito omni officiorum genere quàm honoratiſſimè exceptus, poſteróque die Möringam vſque, caſtellum proximè Ingolſtadium, deductus eſt. Nec Ingolſtadij diu cunctatus Princeps, eod. die, ſecundo Danubio Kelhaimium delatus, poſtridie Donaſtaufium, caſtrum probè munitum, quod ad fines veteris Palatinatûs ſitum eſt, diuertit, vbi duumuiri reipublicæ Ratiſpon. cum ſenatu (nec enim locus procul Ratiſpona abeſt) honoris cauſa Principi cum honorariis occurrere, & vino, piſce, atque auena de more donarunt, ſimúlque militi, qui quod naues ad deportandas cohortes non ſufficerent, aditum per vrbem, tranſitúmque per pomerium liberaliter præbuerunt.

XVII. Inde Cal. Sextiles Straubingæ hæſit, poſteráque luce Pogenbergij, (qui locus eſt D. Virgini ſacer, crebríſque miraculis & frequenti ſupplicantium acceſſu inclitus) Sereniſſimus Princeps rei diuinæ interfuit; vnde ſub veſperum Vilshouium opidũ Danubio adſitum peruenit, vbi quæ ad exercitus annonam & tormentorum machinarúmque bellicarum vſum pertinent, luſtrauit. Poſtridie, qui fuit quintus decimus Calendas Sextiles 16.

1620. Boiodurum ſeu Paſſauium atque inde Schārdingam ſe contulit.

Pridie quàm Princeps Maximilianus Schārdingam ingrederetur, reliqua officia aulica, quæ abituriens Monachij reliquerat, magna frequentia Schārdingam venerunt, inter quæ quatuor Principes viri fuere, duo è ſtirpe Lotharingica oriundi Vademontius & Elbeufius, tum etiam è Sileſia Theſchinus, & ex Italia Virginius Vrſinus.

Hoc ipſo die nunciatum eſt ab agreſtibus colonis prouinciæ Anaſſianæ primæ Auſtriæ (quòd viderent magnam vim militum ad fines Auſtriæ accedere) certatim concurrentibus arcem Starenbergicam, vnà cum opido cui Hag cognomen, occupatam, omnésque Catholicos ciues & incolas eiectos, vt fines tueri, & hoſtem ingruentem arcere commodius poſſent.

19. Iulij. Quartodecimo Calend. Sextiles dum Princeps Schārdingæ rem bellicam ordinat, conuenit S. Serenitatem præfectus præſidij Anaſſiani Sigmarius, ab Ordinibus prouinciæ ſuperioris Auſtriæ miſſus percontatum, *quid ſibi tantæ militum copiæ ad fines prouinciæ adductæ, tantúſque belli apparatus vellent? quanquam enim ſperarent Suam Serenitatem nihil hoſtile aduerſus Ordines populúmque Anaſſianum moliturum, quòd inter ſe optima vicinitatis officia & iura ſemper coluiſſent, rogare tamen vt militem (qui ſi diu in confinio moraretur, magnos motus & pericula conciturus videretur) quamprimum ex finibus deduceret: habere ſe quidem etiam militem præſidiarium ad extrema prouinciæ tuendæ excubantem, ſed qui non, vt offendat quenquam, adſit, ſed aditus duntaxat defendat: Turbam quoq; agreſtem ob aduenientis exercitus*

metum

metum trepidantem & exulceratam, maximo numero concurriſſe, ſed tumultus illos ruſticos per magiſtratus ſedatos & diſſipatos, quanquam ſi miles aduectus non deduceretur, momento rurſum concurſuri ſint, & nihil non auſuri. Ad hæc legato Ordinum Sigmario, verbo duntaxat reſponſum eſt, *Sereniſſimum Principem iam aliàs è ſuis nonnullos ad magiſtratus & Ordines prouinciæ, qui Lincij conueniſſent, allegaturum fuiſſe, qui ſui cum milite aduentus cauſam illis exponerent: iret porrò Sigmarius, & hæc ſuis magiſtratibus ſignificaret, legatos Sereniſſimi è veſtigio ſecuturos.* 1620.

Tertio decimo Cal. Sextiles Laurentius Wenſinus Baro, Sereniſſimo Principi ab conſiliis & cubiculo, præfectus Vohburgenſis cum Reinachio tribuno à Sua Serenitate ad Ordines prouinciæ Linzium legatus iuit, vt, quæ Sua Serenitas ab Cæſare in mandatis acceperat, illis exponeret: Cæſaris decretum aduerſus Lincianos & totam prouinciam pridie Calend. Quintiles publicè editum, ipſo exordio docebat, *quòd Ordines prouinciæ primæ Auſtriæ poſt ortam in Bohemia ab Cæſare & rege ſuo defectionem, ipſi quoque cum perduellibus maiorem partem ſe coniunxerint, & arma aduersùs felic. mem. Matthiam Imperatorem, (contemta commonitione & commi- natione) ſumſerint, & paullò pòſt firmiores aditus (qui in Sereniſſimæ Domûs Auſtriacæ, non in Ordinum, velut ſubiectorum, poteſtate erant,) occuparint, munierint, & præſidiis firmarint, ipsúmque Danubium, ne quid deferri aut referri poſſet, clauſerint, cum hoſtibus Cæſaris contra ius omne fáſq; coniurarint, & prouinciæ adminiſtrationem tanquam liberæ reipublicæ ſibi arrogarint, magiſtratus per prouinciam deſignarint, præfecturas diſtribuerint, & ab Cæſare & Archiducibus inſtitutos regionis* 20. Iulij.

1620. *præſides ab conuentibus & conſiliis excluſerint, decreta ſenatus celarint, certos è ſuis delegerint, qui ſumptus bellicos à ſubditis extorquerent, quique decimum quemque ex popularibus ad militiam ſua auctoritate euocarent, ſui Principis conquiſitores, quamuis auctoritatem eius in ſcripto exhiberent, conſcribere militem prohibuerint, tranſitum copiis. & annonam negarint. Nec hactenus ſtetiſſe perduellium contumaciam. Poſt Auguſtæ memoriæ Cæſaris Matthiæ mortem ab improbis conſiliis non deſtitiſſe, ſed progreſſos vlterius aduerſus Sereniſſimum Archiducem Albertum in defectione perſtitiſſe, imò perfidiam auxiſſe. quando prouinciæ caput, Lincianam arcem, ipſi occuparunt, ſuiſque præſidiis aduerſus ſuum Principem firmarunt, & totius prouinciæ adminiſtrationem & imperium ſibi totum arrogarunt, & in gratiam perduellium Bohemorum tranſitum quendam in Bohemiã ſuis cohortibus interceperunt, nec Ferdinando Cæſari Auguſto poſtquam ad eum hæreditariæ Auſtriacorum prouinciæ (cedente vltrò Alberto Archiduce ſuis regionibus, iuribus ac poteſtati) legitima ratione ſunt deuolutæ, manus dedere. ſed in dies magis ac magis contumaces ac refractarij de integro cum perduellibus & hoſtibus Cæſaris impia fœdera inſtaurarunt, Auſtriámque infra Anaſſum armis inuaſerunt, Ordinúmque in fide & auctoritate Cæſaris perſeuerantium cœnobia, vrbes, arces, pagos, obſidionibus cinxerunt, tormentis diuerberarunt, expugnarunt, diripuerunt, cum perduelles fœdifragíque & periuri Bohemi Viennam infeſto exercitu circumueniſſent, hi ipſi Anaſiani, hoſtibus Cæſaris, auro, machinis, puluere tormentario, annona, ſuccurrerunt; adeóque conſiliis & auxiliis ſe Cæſaris ligitimi ſui Principis hoſtes oſtenderunt & prodiderunt, nec vnquam adigi potuerunt, vt Cæſarem Ferdinandum Principem ſuum pro legitimo ſuo magiſtratu agnoſcerent ſéque ei ſubiicerent, in eius verba, vt par eſt, iurarent, atque*

obſe-

obſequium & obedientiam ſponderent & præſtarent, niſi rata haberentur probarentúrque improbæ illorum machinationes, faſtus, rebellio, & non ferendæ coniurationes, quamuis ſæpenumero Cæſar illos decretis & edictis, (quanquam ipſi per ſe obſequium fidem & obedientiam deberent,) ab prauis conſiliis & impiis factis dehortatus eſſet. Vnde propter hæc & hoc genus alia nota & profeſſa illorum crimina, quæ non ſolùm non emendarunt, ſed in dies auxerunt, iam pridem tanquam hoſtes reipub. proſcribi potuiſſe, cum ipſo facto perduellionis rei, læſæ maieſtatis crimen admiſerint, cùm tamen conſilia ſua diſſimulare, improba facta variis & fictis cauſarum coloribus tegere & excuſare, ſuámque perfidiam excogitatis rationibus velare conarentur, ad id vſque tempus toleratos eſſe, quòd ſpes eſſet fore vti Cæſari, toties ab improbis machinationibus dehortanti, tandem cederent, vt melioribus conſiliis parerent, ſuámque fidem & obſequium, quod ius gentium ab iis exigeret, deferrent. Sed enim horum contumaciam vt vlla Cæſaris clementia frangeret? vti ſeſe corrigerent, & ad frugem redirent? Quinimo indies deteriores & præfractiores ſunt redditi. Sunt enim in promtu teſtes & tabulæ, quæ docent nonnullos ex eorum numero perfidos & perduelles extitiſſe, qui iam à pluribus annis ſe impios miniſtros & architectos defectionis præbuere, reliquas Auſtriacas prouincias regnáque hæreditaria Sereniſſimorum Archiducum Auſtriæ ad ſeceſſionem & defectionem vltrò ſolicitarunt, eorúmque auxilia tentarunt, qui hoſti religionis Chriſtianæ parent. Quibus rebus impulſus Imperator Sereniſſimo Boiorum Principi cuius erga ſe fidem notam & perſpectam habebat, tùm alias graues ob cauſas, ſuas partes commiſit, ducem belli ſupremum creauit, eámque prouinciam impoſuit, vt cum ſumma poteſtate ius Cæſaris aduersùs perduelles exequeretur, omnibúſque, priúſquam bello experiretur, pacem, veniam, & gratiam, Cæſaris nomine, cum hac denunciatione 1620.

1620. *offerret, vt ab Sereniſſimo Principe citati & euocati nominatim reſponderent, & comparerent, eiúſque mandatis & imperiis ſine vlla tergiuerſatione obtemperarent, ſuam cuiusq; ſalutem agi ſcirent, eámque cordi haberent, nec per ſeditioſos & factioſos homines ſeſe falli deinceps & in exitium trahi paterentur, ſed potius ad mentem tandem redirent, præſidium Linzio deducerent, & arcem vrbémque Principi traderent, aditus tranſitúſque, quà terræ, quà fluminis aperirent, initúmque cum perduellibus Cæſaris fœdus reſcinderent, fœderum ſocietatibus intra & extra regnum renunciarent, tabulas fœderis abolerent, abolitáſque Suæ Serenitati traderent, eidémque vti Cæſaris legato & vicarias partes agenti Cæſaris nomine ſacramentum dicerent, & ſeſe in Cæſaris, vt legitimi & hæreditarij ſui Principis poteſtate, fide & obſequio futuros iurarent: adiuncta ſingillatim etiam hac gratia, fore vt ij (qui in præſens manus darent, & ſe Suæ Serenitati Principi Boiorum res Cæſaris agenti obſequentes exhiberent, præſentésque ſiſterent, atque ſe ei permitterent) ex auctoritate & poteſtate Principis ab Cæſare commiſſa, in gratiam interim & fidem clientelámque reciperentur, donec Imperator cognita ſingulorum cauſa, vel omnibus generatim, vel ſingulis etiam pro cuiusque meritis præteritorum factorum gratiam faceret, amniſtiámque omnium commiſſorum proponeret & ſanciret: aduerſus contumaces verò, & in perduellione perſeuerantes ipſe interim vi armíſque ageret & vltima remedia adhiberet quibus ipſos ad officium cogeret. Et nequis fœderum religionem, ſacramenti & iuſiurandi ſociis coniurationis dati, fidem prætenderet (quamuis aduersùs legitimum magiſtratum & principem hæreditarium, nulla initorum fœderum ſit auctoritas & religio, imò eorum vlterior obſeruatio nil niſi perfidia & contumacia) Cæſarem omnium huiuſmodi fœderum factorum fidem & religionem, antiquare,*

quare, abolere, & tollere, fœderatóſque religione iuriſiurandi ſoluere, liberóſque pronunciare. 1620.

Hoc loco tamen illud ſilentio tranſmittendum non eſt, in commiſſo Suæ Serenitati ab Cæſare officio, & exequendis edictis & decretis certos ſubiectorum gradus & diſcrimina eſſe facta: *non ignoraſſe Cæſarem, non eandem omnium ſubiectorum culpam & ſortem fuiſſe. Quoſdam enim vi ab aliis ad defectionem adactos, (è quibus nonnulli & apud nuper defunctum Cæſarem, & hodiernum Imperatorem ſeſe excuſarunt, veniámque violentiæ petiuerunt) alios longè grauiùs peccaſſe, vt qui iam à pluribus annis aduerſus legitimos ſuos Principes & Cæſares inſurrexerint, eoſdémque vel grauiùs vel leuiùs læſerint; (inter quos omnium grauiſſimè commiſerunt, qui principes & auctores defectionis extiterunt:) alios rurſum ſponte ſe ſuis magiſtratibus legitimis ſubieciſſe, & ad officium rediiſſe: alios denique perpetuò in fide, officio, & obſequio ſuorum Principum perſtitiſſe, & ab omni coniuratione ſemper abhorruiſſe & abſtinuiſſe.*

Hæc cùm Ordinibus prouinciæ Sua Serenitas per legatos expoſuiſſet, & quinque dies illis ab denunciatione facta ad conſilium capiendum indulſiſſet (an parére nempe Cæſaris mandatis vellent, & ad officium fidémque ſui legitimi magiſtratus redire, poſt quos dies, niſi per eos, quos ipſi deſignaſſent, proceres, reſponſum Princeps accepiſſet, ipſum pro imperio Cæſaris, officium ſuum executurum) nihil quòd ad caput rei pertinebat reſponderunt, niſi quòd, ea quæ ſibi à Sua Serenitate Cæſaris nomine denunciata eſſent, vellent cum conſortibus & fœderatis communicare, & demum quod viſum eſſet, reſpondere.

Intereà

1620. Intereà ſequentibus diebus copiæ pedeſtres per Danubium deuectæ Paſſauium peruenere, indéque ſingulis propè diebus legio vna per Schârdingam ad Ried opidum (forum Boiariæ pulcherrimum,) propius fines prouinciæ Auſtriæ acceſſit & tranſiit. Equitatus Brauonij & Waſſerburgi conuenit.

24. Iulij. Nono Cal. Sextiles Ordines prouinciæ Anaſſianæ miſerunt ad ſuam Serenitatem, qui prorogationem definiti temporis peterent, quòd iam antè ad VI. Cal. Auguſtì conuentum procerum indixiſſent, in quo de ſumma rerum eſſent deliberaturi, & ex communi conſilio ſuæ Serenitati reſponſuri. Sed Sereniſſimus Ordinibus renunciari iuſſit, ſe non poſſe ab Imperatoris decreto recedere, nec dies prorogare: iam antè illis innotuiſſe cum Linzij eſſent in comitio certos homines ad illos ablegatum iri, qui illis Cæſaris edictum & ſuæ Serenitatis voluntatem declararent, ſenatum non fuiſſe ante legatorum aduentum dimittendum, nec Ordinibus digrediendum.

Inter hæc ſub quinque dierum ſpacio ægrè ſua Serenitas conſilia explicauit, vtrum de primis exercitus cohortibus præmitteret, quæ aditus prouinciæ occuparent, an tantiſper ad fines expectaret, quoad ab ordinibus intelligeret, ad armáne, an pacem inclinarent? Nam hoc ab illis agi ſuſpicio erat, quòd dierum quinque prorogationem poſtulaſſent, vt interim aditus præſidiis maioribus firmarent, quæ tamdiu ſuam Serenitatem in finibus diſtinerent, quoad ab fœderatis auxilia mitterentur, de quibus ipſis ſpes facta fuerat. Quæ res magnas ſuæ Serenitati moras ad perpetrandum bellum inieciſſet, ſi ordines reiectis poſteà conditionibus bellum paci prætuliſſent. Viſum ergo

ergo aditus occupandos, ad quam rem Haslangus inter primos tribunorum à ſua Serenitate cum ſex millibus peditum & duobus millibus equitum, quatuor machinis maioribus tormentorum inſtructus, fines ingredi prouinciæ cis Annaſſum iuſſus eſt, ne tamen quemquam læderet, nec agros popularetur, nec opida inuaderet, nec vim denique vlli, niſi laceſſitus aut impeditus, id quod Ordinibus ſignificatum eſt, inferret: ſed ab omni prorſus iniuria abſtineret. Quòd niſi Sereniſſimus ex ſingulari prouidentia fieri maturè præcepiſſet, extráque prouinciam reſponſum expectaſſet, multa & magna rerum gerendarum impedimenta poſtea ingreſſuro ſe obieciſſent. Ordines enim interim auxilia circumſpicere, aditúſque præſidiis firmare cæpiſſent, ſi quid moræ & temporis impetraſſent, nunquam rati principem tantis viribus, tantíſque copiis tam ſubitò adfuturum. Occupatis verò iam finibus & exercitus parte prouinciam ingreſſâ, alia conſilia cepere, magnopere admirati, & fieri vix potuiſſe arbitrati, vt exercitus ille ingens, qui in Sueuia circum Günzburgum caſtra habebat, tàm repente & inexpectatò in Auſtriam deuolarit: quòd tam expeditè factum non eſſet, niſi præuiſis omnibus Princeps naues ante ad Danubium paratas habuiſſet, quibus copias perpetrata ad Vlmam pacè, deportaret, ita factum eſt, vt non antè nuncius in Auſtriæ ſuperioris prouinciam, de concordia inter Catholicos & Proteſtantes fœderatos Principes, Ordines ac ſtatus facta, quàm exercit' adferretur. Quę niſi cū tanta celeritate fuiſſent adminiſtrata, ſine dubitatione Ordines Auſtriæ aditus ad prouinciam, & prouinciam ipſam petitis & impetratis ab ſociis coniurationis auxiliis, cuſtodiſſent & muniiſſent. 1620.

1620. Intereà ſequentibus diebus copiæ pedeſtres per Danubium deuectæ Paſſauium peruenere, indéque ſingulis propè diebus legio vna per Schârdingam ad Ried opidum (forum Boiariæ pulcherrimum,) propius fines prouinciæ Auſtriæ acceſſit & tranſiit. Equitatus Brauonij & Waſſerburgi conuenit.

24. Iulij. Nono Cal. Sextiles Ordines prouinciæ Anaſſianæ miſerunt ad ſuam Serenitatem, qui prorogationem definiti temporis peterent, quòd iam antè ad VI. Cal. Augusti conuentum procerum indixiſſent, in quo de ſumma rerum eſſent deliberaturi, & ex communi conſilio ſuæ Serenitati reſponſuri. Sed Sereniſſimus Ordinibus renunciari iuſſit, ſe non poſſe ab Imperatoris decreto recedere, nec dies prorogare: iam antè illis innotuiſſe cum Linzij eſſent in comitio certos homines ad illos ablegatum iri, qui illis Cæſaris edictum & ſuæ Serenitatis voluntatem declararent, ſenatum non fuiſſe ante legatorum aduentum dimittendum, nec Ordinibus digrediendum.

Inter hæc ſub quinque dierum ſpacio ægrè ſua Serenitas conſilia explicauit, vtrum de primis exercitus cohortibus præmitteret, quæ aditus prouinciæ occuparent, an tantiſper ad fines expectaret, quoad ab ordinibus intelligeret, ad armáne, an pacem inclinarent? Nam hoc ab illis agi ſuſpicio erat, quòd dierum quinque prorogationem poſtulaſſent, vt interim aditus præſidiis maioribus firmarent, quæ tamdiu ſuam Serenitatem in finibus diſtinerent, quoad ab fœderatis auxilia mitterentur, de quibus ipſis ſpes facta fuerat. Quæ res magnas ſuæ Serenitati moras ad perpetrandum bellum inieciſſet, ſi ordines reiectis poſteà conditionibus bellum paci prætuliſſent. Viſum ergo

ergo aditus occupandos , ad quam rem Haslangus inter
primos tribunorum à ſua Serenitate cum ſex millibus pe- 1620.
ditum & duobus millibus equitum , quatuor machinis
maioribus tormentorum inſtructus, fines ingredi prouin-
ciæ cis Anaſſum iuſſus eſt, ne tamen quemquam læde-
ret, nec agros popularetur, nec opida inuaderet, nec vim
denique vlli, niſi laceſſitus aut impeditus, id quod Ordi-
nibus ſignificatum eſt, inferret: ſed ab omni prorſus iniu-
ria abſtineret. Quòd niſi Sereniſſimus ex ſingulari proui-
dentia fieri maturè præcepiſſet, extráque prouinciam re-
ſponſum expectaſſet, multa & magna rerum gerendarum
impedimenta poſtea ingreſſuro ſe obieciſſent. Ordines
enim interim auxilia circumſpicere, aditúſque præſidiis
firmare cæpiſſent, ſi quid moræ & temporis impetraſſent,
nunquam rati principem tantis viribus , tantíſque copiis
tam ſubitò adfuturum. Occupatis verò iam finibus & ex-
ercitus parte prouinciam ingreſſâ, alia conſilia cepere,
magnopere admirati, & fieri vix potuiſſe arbitrati, vt ex-
ercitus ille ingens, qui in Sueuia circum Günzburgum
caſtra habebat, tàm repente & inexpectatò in Auſtriam
deuolarit: quòd tam expeditè factum non eſſet, niſi præ-
uiſis omnibus Princeps naues ante ad Danubium paratas
habuiſſet, quibus copias perpetrata ad Vlmam pace, de-
portaret, ita factum eſt, vt non antè nuncius in Auſtriæ ſu-
perioris prouinciam , de concordia inter Catholicos &
Proteſtantes fœderatos Principes, Ordines ac ſtatus facta,
quàm exercit' adferretur. Quę niſi eũ tanta celeritate fuiſ-
ſent adminiſtrata, ſine dubitatione Ordines Auſtriæ ad-
itus ad prouinciam, & prouinciam ipſam petitis & impe-
tratis ab ſociis coniurationis auxiliis, cuſtodiſſent & mu-
niiſſent.

1620. Quamprimùm ergo Haslangus cum duabus, vt dixi, legionibus, & bis mille equitib⁹ Prouinciam eſt ingreſſus, aditum proximè Hagam ab agreſtibus colonis reperit obſeptum, magnam enim ſiluæ partem exciderant, & immanibus arborum truncis tranſuerſim & cancellatim inter ſe commiſſis, viam penitùs interccluſerant, quam Haslangus ſecuribus & dolabris aperire aggreſſus, ſimul cum ſeruili ruſticorum turba, quæ maximo numero confluxerat, & aditum molienti ſe obiecerat, depugnare coactus eſt. Tantus verò agreſtium furor erat, vt ſi quem è militibus cepiſſent, inauditis cruciatibus tortum enecarent. Haslangus remoto tandem ſepto, tranſitúque potitus tanta vi ſe in inconditam agricolarum turbam intulit, vt retuſa illorum contumacia, expugnatáque pertinacia, totum agreſtium agmen victum diſiecerit ac diſſiparit, vt quaqua potuere certatim confugerint, & in opaca, intimóſque ſiluarum receſſus ſeſe abdiderint. Miles enim Haslanganus ob crudelitatem in deprehenſos commilitones exercitum prope in rabiem actus, vbi ruſticanos excepit, iniuriam vlturus, crudeliſſimè deſæuiit, pagóſque ſubiectis facibus incendit, & in deprehenſos omnia crudelitatis exempla edidit. Quòd Sereniſſimo Principi vehementer condoluit, qui omnia contraria edicto cauerat: tum verò nouo edicto capitis pœna ſanxit, ne quis vſpiam tectis ignes iniiceret, ſimúlq; in auctores acerrimè iuſſit inquiri & in conuictos gladio aut laqueo animaduerti.

25. Iulij. VIII. Calend. Sextiles delecti ex Ordinibus prouinciæ Principem adituri publica fide & commeatu libero impetrato, ſe in officio futuros promiſerunt. Quo tem-

tempore ſimul ab Imperatore literæ allatæ nunciarunt, Ordines nonnullos ſecundæ quoque Auſtriæ 1620.
terrore Martis impulſos, poſtquàm rem ſeriò geri viderunt, Cæſari ſacramentum dixiſſe ſéque in eius poteſtate futuros iuraſſe. Nam facilè apud animos ſuos reputare poterant, cùm icto inter Catholicos & Proteſtantes ad Vlmam pacis fœdere, militem vtrinque nihilominus retineri viderent, non gratis tantos ſumptus in militem expenſum, ſed eundem ad eas prouincias deductum iri, vbi ad tuendos ſuos, & coërcendos contumaces vſus futurus eſſet, ac demum totam belli molem in rebellium & perduellium capita recaſuram, nec republica ita conſtituta, vlla ſatis firma ab Gabore præſidia & auxilia expectanda, quibus hoſtis tam potens vel arceretur, vel ſuſtineretur.

Hoc ipſo die Illuſtriſſimus Dn. Tillius ſupremus militiæ legatus, qui proximam à Sereniſſimo Principe in exercitu auctoritatem obtinet, duas legiones & mille admodum equites in prouinciam cis Anaſſianam Haslangum ſecuturus, duxit.

VII. Calend. Auguſti Sereniſſimus Princeps Maximilianus Illuſtriſsimo Duci Croyo (qui in officiis Imperatoris, decem alis equitum & duabus peditum cohortibus in agro Paſſauienſi præerat, & in mandatis acceperat, vt ad imperia Maximiliani Principis, ſi vſus eſſet, ſe accommodaret) præcepit, vti motis caſtris in Bohemos duceret, & Vngarorum, qui Paſſauienſi agro imminebant, excurſiones reprimeret. Quo die Erneſtus Ludouicus Princeps è Lauenburgica Saxonum ſtirpe oriundus, dum Viennam ad Cæſarem ſua eidem officia delaturus properat, ab 26. Iulij

1620. ſeditioſa agreſtium factione circumuentus, haud procul Eferdinga ad Danubium proximè Linzium ſita, crudeliter trucidatur, quòd inter menſam ſub prandio dixiſſe feratur, Anaſianos breui alios hoſpites in prouincia habituros.

28. Iulij. Quinto Cal. Auguſti Sereniſſimus Princeps Maximilianus Scherdingâ cum reliquis copiis ad opidum Ried profectus, apud S. Martini, qui locus Tâttenpekio paret, prandit. Apud opidum verò Ried, quod ſupra laudaui, Haslangus tribunus Principem conuenit, retulítque quid in prouincia Anaſſiana poſt ingreſſum effecerit. Nam vbi primæ cohortes Hagam opidum receperunt, progreſſæ vlterius, arcem quam Höhenfeldenſes poſſidebant, Aiſtershaimium, quæ in itinere occurrebat, ad deditionem ſolicitarunt, ſed confiſi, præſidio (quod ex milite & agreſtibus conſtabat,) deditionem recuſarunt, quòd nollent, theſauros ſuos, quos ibi collocarant, militum pdæ exponere. Irritatus inde miles noſter, vt ſequentibus aditum aperiret, arcem vi aggreſſus primùm aquam aliò diuertit, vt acceſſus ad arcem pateret, quo in negotio dum ex arce noſtræ operæ tormentis petuntur, triginta vnà cum tribuno militari Mortoni è Lotharingia occubuerunt. Sed cùm miles acrius obſeſſis inſtaret, illíque defenſionem deſperarent, ſe arcem & omnia ad arbitrium victoris dediderunt, militibus, qui in præſidio erant, quia arcem aduerſus ſui tribuni Schiferi imperium defendere auſi ſunt, gula laqueo fracta, cum quibus etiam agreſtium dux, qui miſera mancipia ad ſeditionem concitarat, pependit: præfecto verò præſidij caput à ceruice reuulſum.

29. Iulij. IV. Cal. Auguſti Princeps Maximilianus ad arcem ſtarn-

Starnbergicam, quæ ſponte antè in ditionem ſuæ Serenitatis, quàm Aiſterhaimium occuparetur, venerat, acceſſit. Hîc Mekauius è tribunis vnus, à Buquoyo miſſus ad Sereniſſim. adiit, & quæ in mandatis à Buquoyo acceperat, expoſuit. 1620.

III. Cal. Auguſti Ordines Anaſſianæ prouinciæ literas ad ſuam Serenitatem misêre, quibus teſtati ſunt, ſe delectos è ſuis eodem veſpere miſſuros, obnixè ab eius Serenitate petere vti curet, quò tutò cum ſuo comitatu vltrò citróque commeare poſſint. Quibus data publica fides, publicæque literæ ad legatos omnes militares & tribunos miſſæ, quibus legatis Anaſſianis liber commeatus ad Sereniſſimum, & inde ad ſuos eſt datus. 30. Iulij.

Dum Sereniſſimus Princeps in arce Starnbergica verſatur, ex alto proſpexit in circumiecta vicinia vicos & pagos ardere, ſtatímque præcepit, vt aliquot equitum turmæ in omnes partes excurrerent, & in incendiorum auctores quàm curioſiſſimè inquirerent. Vnde factum vt aliquot deprehenſi & conuicti, ſtatim, ad alios ab huiuſmodi facinoribus deterrendos, è furca ſuſpenderentur.

Pridie Cal. Auguſti Sereniſſimus Princeps cum toto exercitu profectus ad opidum Grieskirchẽ Ordinum prouinciæ Anaſſianæ legatos ſuum aduentum præſtolantes offendit, qui eodem die, quid in mandatis haberent, impetrata dicendi copia aperuerunt. Sed cum principio multa verba ſuper excuſatione rerum primis aduentus diebus in prouincia geſtarum facerent, multáque in edicto Cæſaris ad eos tranſmiſſo vel excuſarent vel negarent, Sereniſſimus illis renũciari iuſſit, vt ad caput edicti, illis ex Cæſaris auctoritate ꝓpoſiti, diſertè & exertè reſpõderent 31. Iulij.

1620 (velléntne Cæſari parere & in eius poteſtate eſſe, fidémque & obſequium Principi Cæſaris nomine iurare?) ſi dein quid aliud peterent, id ſcripto ſignificarent. Ita illi Ordinum ſententiam ſcripto comprehenſam Suæ Serenitati ſupplices porrexerunt, cuius hæc capita fuere. Primò conati ſunt ea de quibus in edicto ab Cæſare incuſabantur diluere & excuſare. Deinde petiere vt omnia iura, immunitates, prærogatiuas & priuilegia, ab Auguſtæ memoriæ Maximiliano II. conceſſa & indulta Sereniſſimus Princeps, Cæſaris nomine, rata haberet, & ſua auctoritate ſtabiliret, ſiue illa ad res Eccleſiaſticas ſiue politicas pertinerent. Præterea ne Linzij vel aliis prouinciæ locis vllum militare præſidium collocaretur, ſed totus exercitus quamprimùm ex agro Auſtriaco abduceretur. Graue ſibi prætereà querebantur de publicis icti cum Bohemis fœderis tabulis ſigna detrahere, tabulas abolere, & abolitas Suæ Serenitati tradere: hoc enim ad publicam ſuam infamiam pertinere, meritóque id ſibi religioni ducere, quòd vulgò pro fœdifragis proclamari poſſent, pacta enim cum Bohemis inita, iureiurando affirmata ſacroſancta eſſe: ſatis videri, quòd eæ tabulæ ab Cæſare eſſent antiquatæ, fœdus reſciſſum & ſublatum. Poſtremò rogarunt omnium præteritorum tēporum & quidquid modò accidiſſet & aliàs offenſum eſſet, veniam & pacem, adeóque generalem pro omnibus omnium Ordinum mortalibus amniſtiam & commiſſorum ac iniuriarum obliuionem. Sed cùm Sereniſſimus negaret ſe cum illis ſcripto vel oratione velle contendere aut quærere, iuréne Cæſar an iniuria edictum, & quæ edicto comprehenſa ſunt, in ipſos euulgarit & ſibi exequendum demandarit: Velle ſe cauſam

Et quando ab legitimo ſuo Principe nefariè defecerunt, cum perduellibus contra ſuũ magiſtratũ coniurarũt, vbi tũ religio, conſcientia & fides fuere?

ſam illorum Linzij cognoſcere, ibi vt in arce frequentes comparerent, accepturos pro cauſæ æquitate reſponſum. Ita dimiſſi legati, dum in abitu Principem ſalutarent, illúmque ſibi propitium vellent, adiecere, omnes illi iam aditus & vias patere, paratos eſſe Ordines, ad eius obſequia adeſſe, & quaqua incedentem cum feſta cerimonia & publico triumpho excipere, in vrbem etiã prouinciæ Principem & arcem Linzianam Archiducum regiam volentes libentes admiſſuros. 1620.

AVGVSTVS 1620.

CAlendis Sextilibus Sereniſſimus Princeps Grieskirchij in hoſpitio publico, quòd res ibi diuina ritu Catholico in nulla æde ſacra fieret, ſacra procurari iuſſit, vbi ſimul ſignum prætorianum initiatum & conſecratum eſt. 1. Aug.

Eodem die cum omnibus copiis Welſium vrbem facilè Linzio dignitate proximam, petiuit. Portas ingreſſo, præſtò ad officia fuere conſules cum ſenatu, qui poſt ſalutationem & aduentus felicem gratulationem, claues vrbis adhuc equo vehenti obtulere.

IV. Nonas Sextilis trepidus Welſium nuncius adfertur ab Erneſto Mansfeldio munimentum Wallerianum, Cæſarianus miles ad fines agri Paſſauienſis ad aditus ex Italia in regnũ Bohemię tuendos, & ſeruandos extruxerat, opera cohortiũ Bohemicarum expugnatum eſſe. Cognitum dèin eſt hoſtem ad Sollenauenſę etiam propugnaculum oculos adieciſſe, quod ſi occupaſſet, futurum erat, 2. Aug.

vti

1620. vti copiis Cæſarianis ex Paſſauienſi agro nihil annonæ, nihil inſtrumenti bellici, pulueris nitrati, & quæ ad vrbes tuendas vel expugnandas pertinent, ſubmitti poſſet. Sed cùm in expugnatione propugnaculi Walleriani non paucos de ſuis Mansfeldius deſideraſſet, & ad Sollenauium per Auſtriacos fœderatos intellexiſſet, Sereniſſimũ Principem Maximilianum in prouinciam Auſtriæ primã cum omnibus copiis penetraſſe, conſilium de Sollenauio oppugnando mutauit.

4. Aug. III. Nonas Sextiles, præmiſſo Linzium exercitu, Princeps Welſij moratus, ordinauit rempubl. vbi ab Ordinibus prouinciæ Anaſſianæ certior factus eſt, tam paucos ex proceribus comparere, vti non poſſint pro eo ac par ſit venientem honorificè ſatis accipere, rogatus ab eiſdem an Sua Serenitas Prætorem prouinciæ in arce degentem ferre poſſit, eſſe illum chartophylacij cuſtodem, omnéſque tabulas & literas Imperatorum & Archiducũ ibi ſeruari, quibus prouinciæ immunitates & priuilegia continerentur, reſpondit: Quòd ad publicum apparatum, quo ipſe vrbem ingreſſurus, exeipiendus eſſet, attineret, nihil laborandum eſſe, nullum hîc triumphum agi: tabularium verò, quo literæ & arcana prouinciæ continerentur, cum omni ſuo inſtrumento ſuo loco relinquẽdum: Prętorem verò ſeu ſupremum prouincię tribunum, poſſe interim dum Princeps in arce verſaretur, in vrbe domicilium ſibi opportunum conducere.

Eodem die allegatus eſt ad Sereniſſimum Principem ab Cæſare Dominus Harrach, qui de ratione, modo, conditionibus, & legibus, cum Sua Serenitate ageret, quibus prouincia rurſum in fidem & gratiam reciperetur, quæq;

ciui-

ciuitates & loca præſidiis eſſent cuſtodienda, deque aliis maioris momenti negotiis, quæ ad rempublicam pertinebant. 1620.

Pridie nonas Sextiles, Sua Serenitas ab ſenatu populóque Welſenſi in curiam euocato, Cæſaris nomine iuſiurandum obſequij exegit, vt in præſens, (quoad reliqua Linzij componerentur,) interim in fide Cæſaris legitimi ſui magiſtratus permanſuros iurarent: Quòd ab vniuerſa ciuitate præſtitum eſt: Princeps Magiſtratum, conſules, ſenatum, ciues, ad ſua ſingulos officia, honores, dignitatem, quam anteà quiſque obtinebat, remiſit, ſimúlque ſpem fecit, fore vt ſuis quibus anteà legibus & moribus vixiſſent, deinceps, pro temporum tamen & rerum ſtatu, viuere permitterentur. Tum pranſus cum reliquo comitatu Linzium versùs iter inſtituit, relictis ad vrbis cuſtodiam duabus 600. militum cohortibus, ſeueriſſimè tribunis interminatus, vti præſidiariorum licentiam coërcerent, ne quiſquam è ciuibus iuſtam querendi cauſam haberet. 4. Aug.

Sub veſperum Linzium ingreſſus, in arce ab prouinciæ proceribus & Ordinibus ſatis frequentibus, pro copia rerum, honorificè exceptus, & ab prouinciæ prætore, communi omnium nomine, conſalutatus, Ordines ad præſtandum Cæſaris nomine ſibi iuſiurandum paratos inuenit. Poſtridiè ſtatim bene firmum præſidium Freiſtadium, quæ ciuitas extrema prouinciæ eſt, qua Bohemiā ſpectat, miſit, eodémq; die duo Ordinibus decreta ſubmiſit, quibus præcipiebatur, primùm *vt Ordines prouinciæ omnium procerum nomina tam præſentium quàm abſentium ſibi exhiberent.* Deinde *vt ſignificarent quantum militem* 5. Aug. 1.

1620. *antehac aluiſſent, & tum in præſens alerent.* Præterea *ne militem*
3. *inſcio principe ſua auctoritate exauctorarent aut dimitterent.* Iu-
4. bebat etiam *vti ex præſentibus Ordinibus nemo diſcederet, abſen-*
5. *tes citarentur.* Poſtremò *vti rem maturarent, ut omnia quam-
primùm confici & componi poſſent.*

Intereà exercitus Boiaricus (ſex erant legiones quæ octodecim millia peditum conficiebant) proximè vrbem caſtra metatus eſt, machinæ maiores viginti, locis opportunis collocatæ: equitatus omnis per vicinos & circumiacentes vrbi pagos diſtributus.

6. Aug. VIII. Idus Sextiles Ordines prouinciæ in conſilium ierunt, quid ſuper decretis ſibi à Sereniſſimo Principe ſubmiſſis videretur reſpondendum. Itum ab omnibus in ſententiam, Principis mandata exhaurienda, cunctis tamen conſenſu præſidia ciuitatum, arcium, & opidorum, viarúmq; deprecantibus: quod iure illis eſt negatum, cùm ita tempora & reipubl. ſtatus requireret, non videri id loci prouinciam ſine præſidiis relinquendam.

Eodem die reſpondit Princeps legato Cæſaris Harracho, ſimúlque publicè edixit, vt abſentes Ordines, qui nondum comparuerant, intra certum & præſcriptum tempus ſe ſiſterent, quod niſi facerent, futurum vt ex formula edicti Cæſaris punirentur, & in hoſtium numero haberentur.

7. & 8. Aug. Biduo ſequenti actum eſt cum præſentibus prouinciæ Ordinibus, vti conſcriptum militem ſuum ſacramento ſoluerent, ac dimitterent, dimiſſum Sua Serenitas ſuis copiis adiungeret, vt ſarciretur numerus eorum qui paſſim in præſidiis erant collocati, quod ritè & ordine confectum eſt.

VI. Idus

VI. Idus Sextiles nuncius veredo aduectus, ſignifi- 1620.
cauit Saxoniæ Principem & Imperij Septemuirum omni- 8. Aug.
no in cœpto de iuuando Cæſare & eius mandato aduerſus hoſtes Cæſaris exequendo perſeuerare, & octo millia peditum & duo millia quingentos equites de integro conſcripſiſſe, & mox duodecim millia peditum & tria millia equitum in campum & bellum educturum, & XVII. Calendar. Septembr. in Lauſatiam irrupturum, vt occupata illa prouincia, rectà in Bohemiam aduerſus perduelles Cæſaris contendat, vt inibi coniunctis viribus hoſtium contumacia retundatur & expugnetur. Adiecit etiam legatum Cæſaris dynaſtam ab Hohenzollern, magnis ab Saxone honoribus cultum, ipsúmque Principem Septemuirum Imperij optimè & ſinceriſſimè erga Cæſarem affectum.

Sub idem tempus Balthaſar Maradas, haud inter 10. Aug.
poſtremos belli duces tribunus, literas hoſtium intercepit, quibus continebatur Fridericum Palatinum & Ordines Bohemiæ, Prouinciæ Anaſſianæ velle quamprimùm ſuppetias ire, eóque rem deducturos, vt Princeps Boiorum prouinciam cogatur relinquere, & ſua domi tueri. Bonum proinde haberent animum, & Boio, quanta vi poſſent, reſiſterent, donec è Bohemia auxilia mitterentur.

IV. Idus Sextiles Sereniſſimus per curſorem docuit Saxonem, quid in occupata prima Auſtria cis Anaſſum geſtum ſit, eſſéque ſciam in eo, vti totis caſtris quamprimùm Bohemiam inuadat.

Nec ſanè diu moratus, poſtridie legiones Sulzianam 11. & 12. Aug.

1620. cui id temporis Baro ab Anholdt generalis vigilum præfectus imperabat, cum decem equitum turmis, in Bohemiam miſit, qui decem millibus paſſuum à Budovvizio conſtitere, vti progreſſum Bohemici militis obſeruarent. Ordines verò ſuperioris Auſtriæ, quæ ad Anaſſum eſt conati ſunt conducto militi ſuo chirographis nominum, de ſtipendiis debitis, quoad illis ſatisfieret, cauere; vt interim ſub Principis Maximiliani ſignis mererent: quam conditionem hoc libentius admiſſuros arbitrabantur, quò maior nominum & ſtipendiorum erat ſumma (quam alioqui non tam citò videbantur extorturi) ſcirent quoq; certiora & paratiora eſſe Sereniſſimi Principis ſtipendia, cui eſſent militaturi. Sed nihil cum illis tranſigi potuit, quod ſtipendia plena ab Ordinibus nondum adnumerata importuniſſimè flagitarent. Enimuerò cùm Ordines pecuniam tantam in promtu non haberent, & Sereniſſimus Princeps quadraginta millia aureorum mutuò daturum illis polliceretur, quibus ſemeſtre ſtipendium in præſens militibus perſolueretur, Illi tamen nec hoc contenti, omnium menſium, pro quibus nondum ſatisfecerant Ordines, plena ſtipendia exigebant: Sereniſſimus verò parum è re ſua futurum cenſebat, ſi ipſe prouincia excederet, & præſidiarium Ordinum militem adhuc Ordinibus obnoxium, in prouincia & præſidiis à tergo relinqueret. Interea tamen, dum quid aliud in mentem veniret, aut ratio occurreret, qua militi ſatisfieret, præceptum eſt Ordinibus, vt nihil de annona è granariis, nihil ex armamentariis, quæ ipſe cuſtodiri præceperat, de baliſtis, telis, aut inſtrumento bellico depromeretur: ſed omnia ſuo quæq; loco relinquerentur. Quibus mandatis, cùm Ordines omni-

omnibus modis obniterentur, ipſis tandem permitten- 1620.
tibus, actum eſt, vt è tota prouincia omnia arma Linzium
deferrentur, vbi quid de iis fieri placeret, edixit, & ita to-
tum hoc negocium compoſuit, ne Ordines denuo illis in
Cæſarem abuterentur.

Idibus Auguſti Trautmanſdorfius ex intimo Cæſaris 13. Aug.
conſilio, & Comes Tampierius, Cæſaris nomine vehe-
menter vrſerunt Principem Maximilianum, vti ſuas co-
pias cum Cæſarianis coniungeret, quò hoſtis quampri-
mùm ex tota Auſtria pelleretur, illóque pulſo, de Bohe-
mia demum recipienda & perpetrando bello tractaretur.

Dum hæc in conſilio agitantur, nunciatum eſt Manſ-
feldium Furtam versùs, vltimum Boicę oppidum, qua Bo-
hemiam ſpectat, irruptionem in Boiariam cogitare,
ad quam prohibendam Sereniſſimus Haimhuſio, ſupre-
mo Commiſſario, & Lindelo, atque Herlebergero tribu-
nis, quos ad fines Boicæ defendendos reliquerat, præce-
pit, vti cum ſuo quiſque equitatu & pedeſtribus copiis ad
fines Bohemiæ Furtā properarent, & irruptionem Manſ-
feldij ſi quam tentaret, prohiberent.

Per eos dies copiæ Wirtzburgenſes bis mille quin-
genti pedites, equites quingenti Bohemiam petere
iuſſæ.

XIX. Cal. Septembr. nunciauit curſor Manſfeldium 14. Aug.
à finibus Boiariæ relicto agro Paſſauienſi, ab oppido Furta
regreſſum in Bohemiam.

Eodem die Sereniſſimus cùm videret præſidiarios
Ordinum Auſtriæ Anaſſianæ propoſitis conditionibus de
duorum menſium ſtipendio perſoluendo, non acqui-
eſcere, nec vllis rationibus ad æquitatem traduci poſſe,

1620. ſuis negotium dedit, vti duo millia peditum cum aliquot turmis equitum Adalsheimium ſub noctem proficiſcerentur (vbi ex milite Anaſſiano mille quingenti caſtra habebant) & arcem primùm occuparent, dein præſidiarios Anaſſianos aggrederentur, & ad æquas conditiones ſuprà propoſitas, ſi in peruicacitate ſua perſeuerarent, vi compellerent. Sed Anaſſianus miles, vbi conſilium & imperium Sereniſſimi Principis cognouit, non expectata impreſſione, vltro duorum menſium ſtipendium accepit, & certa reliquorum ſtipulatione contentus Principis imperio, ipſi deinceps militaturus ſe ſubiecit.

15. Aug. XVIII. Calend. Septembr. ſecutus priorum ſtipendiariorum exemplum reliquus Ordinum prouinciæ Anaſſianæ cum quatuor equitum alis miles, eadem conditione in Sereniſſimi Maximiliani caſtra ſe contulit, apud ipſum ſtipendia facturus.

Ordines verò ipſi, iuſſi ſunt Cęſaris nomine Suę Serenitati obſequium ad pſcriptum ipſis modum iurare. Cæterum quòd *in edicto Cæſaris de quibuſdam capitibus, præter ius fas inſimulatos ſe teſtentur*, quòd *literas immunitatum veterum & priſcarum conſuetudinum atq; priuilegiorum tam eccleſiaſticorum quàm ciuilium ratas & firmas, adeóq; indelebiles eſſe cupiant*, ſimulque *omnium præteritorum temporum & commiſſorum amniſtiam ſine vllo vel hominum ſingulorum vel Ordinum diſcrimine petant*, cùm de his poſtulatis Sua Serenitas in tabulis ſibi à Cæſare cum poteſtate & exequendi imperio tranſmiſſis vllam fieri mentionem negaret, *rem totam in Cæſarem reiecit, quem ab illis conſuli ſuper his poſſe reſpondit.*

Septimo-

Septimodecimo inde Cal. Septembr. Ordines prouin- 1620.
ciæ Anaſſianæ ad Suę Serenitatis petitionem de quamo- 16. Iulij.
dò relatum eſt reſponderunt, *cupere ſe formulam ſacramenti in præſens duntaxat faciendi, priuſquàm iurent, recognoſcere, vt intelligere poſſint, quatenus iuſiurandum ſit præſtandum. Nam ſi Cæſari velut legitimo & hæreditario principi ſuo obſequium, quod prouinciæ hæredi deberent, ſit addicendum, non poſſe id vlla ratione fieri, niſi nouus hæres & Imperator, prouinciæ Ordinibus indultas ab Maximiliano II. & Matthia Auguſtæ memoriæ Imperatoribus, gratias, immunitates, & priuilegia, præſertim autonomiam ſeu religionis libertatem, ſua quoque voluntate & auctoritate confirmet.*

Poſtridie Sua Serenitas rurſum docuit Ordines, 17. Aug.
illorum poſtulata ad ſe non pertinere, gratiúſque ſibi futurum fuiſſe, ſi exequendi, quod ſibi impoſuiſſet Imperator, onere omnino ſuperſedere licuiſſet, optaſſéque rem nunquam ab Ordinibus in eum locum & diſcrimen deductam: proinde ſe ſuum tantùm munus ſpectare, & quid ſibi imperator præſcripſiſſet, velle exequi: ab eius formula ſibi propoſita nec latum vnguem diſceſſurum; aliena verò, ſibíque non commiſſa negotia, nullo modo ſuſcepturum vel tractaturum, nec vllam quæſtionem de excuſatione eorum de quibus in edicto Cæſaris eſſent accuſati, quòd ea res tota ipſum duntaxat Cæſarem ſpectet, inſtituturam. Poſſe ergo Ordines ſeſe ſuper iis rebus apud Cæſarem ritè & ordine purgare, nec dubium eſſe, quin ſua ſacra Cæſarea Maieſtas perpenſis rationum momentis & præſenti rerum ſtatu, pro ſua clementia ita ſatisfactura ſit Ordinibus, vt intelligant omnes, nihil aliud ab Cæſare ſpectari, quàm vt Archiducatus Auſtriæ ſuperioris cum tota gente, Ordinibus & plebe ſit ſaluus & incolumis; quemadmodum & ipſe Sereniſſimus princeps Boiariæ, eandem illis incolumitatem

ex-

1620. *ex animo voueat atque exoptet, qui promtum eorum parendi ſtudium quod coràm oſtenderint, Cæſari per literas, cum adiuncta eorum excuſatione, velit exponere, nihilque eorum prætermittere, quæ ad tranquillum eius prouinciæ ſecurúmque ſtatum pertinere videantur: Suæ Serenitati præterea gratiſſimum eſſe, velléque eam rem apud Cæſarem debitis laudibus prædicare, quòd Ordines prouinciæ ſuo legitimo & hæreditario Domino, nullo modo velint repugnare, ſed omni ſtudio pro ſua facultate obſequi, & in fide ſuæ Cæſareæ Maieſtatis tanquam veros fidóſque clientes ad vltimum vſque ſpiritum perſeuerare. Quæ de fide Ordinum & paratis ad obſequendum animis, quos præ ſe ferant, quamuis Sereniſſimus Princeps nullus dubitet, credátque facta verbis & promiſſis reſponſura, id tamen ex eo appariturum, ſi Ordines quamprimùm ex præſcripto Cæſaris ſibi Principi fidem obſequiúmque interim, donec reliqua per otium & occaſionem componantur, nomine Cæſaris ſine vlteriore tergiuerſatione iurarent.*

Nam quemadmodum antè Cæſari obſequium exigenti præſcriptæ ſæpius ab Ordinibus conditiones, à quibus diſceſſuros ſe negarant, motus hos conciuiſſent, Cæſarémque ad acriora remedia quibus ſubiectos ad officium reuocaret, tentanda compuliſſent, ita nunc quoque, niſi ſublatis prioribus conditionibus, nullam emendandæ reipublicæ, aut melioris fortunæ & ſtatus paciſque ſpem fore, imò ſi leges has ſuas Cæſari præſcribere pergerent, nec à ſuis conſiliis deſiſterent, ſed paucorum perduellium ſuaſu rempub. in priori perturbatione relinquere cogitarent, fore vt in dies omnia in peius laberentur, & ſuo ipſi hæreditario Principi & Imperatori, prouinciæ, ſibique, & toti genti, maiora in dies mala crearent. Cùm haud obſcurum ſit, quid antea Cæſar illis receperit, & quòd priuilegiorum confirmationem ſuo edicto Principi Boiorum commiſſo non comprehenderit, & Ordines prouinciæ antequam obſequij iura-

iuramentum præſtent, quicquid ab Cæſare deſiderent, debita cum reuerentia ſubmiſsè & modeſtè precabundi poſſint proponere, adeò 1620.
vt nunc ſuperſit nihil, niſi vti ſeſe totos interim Cæſari permittant, in eius clientelam redeant, & eidem fidem obſequiúmque iurent, rem diutius differri non poſſe. Ita Suam Serenitatem pro poteſtate & imperio ſibi ab Cæſare commiſſo velle, iubere, ne ſcilicet Ordines Suam Serenitatem diutius diſtineant, vnde variæ incommodorum difficultates ex omni parte exiſtant, ſed quamprimùm in verba Cæſaris ad propoſitam interim ab Sua Serenitate formulam iurent & ſuam inde cauſam apud Cæſarem faciliorem gratiorémq; reddant. Quòd ad præſidia attineret, Suam Serenitatem (ita volente & imperante Cæſare & ſua ipſius cauſa, próque Ordinum & prouinciæ tutela ſecuritatéq; ita præſenti rerum ſtatu ſanè periculoſo, in quo Ordines ipſi ſe conſtitutos non diffiterentur, exigente) certis in vrbibus & finibus cuſtodias collocaſſe. Quòd verò reliquas copias, hoc eſt totum exercitum intra prouinciam adhuc hærentem non deduxerit, id contra Suæ Serenitatis conſilium has ob cauſas factum, quòd Ordines ſuum militem nondum exauctorarint. Quo dimiſſo ſi Ordines, quemadmodum præ ſe tulerint, Cæſaris imperio & edicto, cum debito obſequio ſtatim obſecundaturi eſſent, extemplò reliquas legiones ex prouincia abductum iri. Ita vt in Ordinum tantùm voluntate ſitum ſit, velintne quieti ſuæ & aliorum conſultum, quandoquidem (quod tertio loco obiectum erat) nec fœdus cum hoſte initum, cum Cæſaris, qui legitimus Princeps eſt, auctoritate vlla ratione conſiſtere ratúmque haberi poſſit, nec vlla ratione Cæſar ab illo pendeat, ita iubere Suam Serenitatem vt præ cunctis aliis, fœdus idem cum hoſte à triplici Ordinum politicorum ſtatu initum, reſcindatur, ſigna tabularum detrahantur, & ad locum deſtinatum deferantur. In qua re tantò minus difficultatis ſit aut eſſe debeat, quòd ipſi Ordines non negent, fœdus ab Cæſare

1620. *iure damnatum & abolitum eſſe, proinde nihil ſit, quod ad illud ab ipſis etiam damnandum & abolendum, ipſi ordines grauentur vel querantur. Et multò minus illis verendum eſſe, ne ſi Cæſari & legitimo ſuo magiſtratui à cæleſti numine deſtinato pareant, & acta contra Cæſarem reſcindant, patriæque conſulant, ea res apud eos, qui nullis partium ſtudiis trahantur, cuiuſcunque ordinis & fortunæ ſint, vllam infamiam pariat, aut notam inurat; ſed futurum potius vt ex eo facto laudem & gloriam indipiſcantur, quando ea quæ vel ſuo conſilio, vel (quemadmodum excuſationis illorum litteræ docent) Bohemorum minis territi, fœdera inierunt, illa nunc ſua voluntate & Cæſaris ſupremi ſui magiſtratus imperio (cuius ſe fidos & obſequentiſſimos clientes & ſubiectos profitentur) ruperint & antiquarint. Quæ res, ne tribus prouinciæ ſuperioris Ordinibus fraudi vel detrimento ſit, ipſa ſacra Cæſar. Maieſtas & ſereniſſimus Boiorum Dux Maximilianus pro commiſſa ſibi ab Imperatore auctoritate & poteſtate, cauebunt; prouinciàmque totam, ſi qui vel eam calumniari, vel hoſtiliter inuadere conati fuerint pro viribus, quacunque ratione, tanquàm aduerſus reipub. perduelles, defendent ac tuebuntur.*

Quapropter ſereniſſimus Princeps cupit vt ordines quamprimũ illum inter ipſos & Bohemos fœdus ſoluant, & abrumpant, Bohemiſque omninò ſocietatem renuncient, vt Archiducatus hic, ſublatis omnibus incommodis & perturbationibus ſperata tandem (reuocatis in memoriam quæ primo capite ſunt expoſita) pace frui poſſit. Et quia quarto capite, quod de amniſtia ſeu obliuione iniuriarum eſt, Ordines ſignificarint, cupere ſe Cæſari tanquam fidos & obſequentes ſubiectos commendari, quem omninò ſperent, nullum in amniſtia hominum diſcrimen facturum, ſed omnibus ſine vlla cuiuſcunque Ordinis vel dignitatis vel conditionis ratione veniam & pacem indulturum: Cum hoc

caput.

caput ab ſua Cæſaris Maieſtatis ſola voluntate & auctoritate pendeat, ſuam Serenitatem quamprimum Cæſari, quemadmodum ipſi ordines petijſſent per literas optima fide expoſituram, quem ſuper eodem Ordines poterunt poſtmodum conuenire & gratiam veniámque ſperatam expectare. Hæc sereniſſimum Principem Maximilianum iudicaſſe Ordinibus Archiducatus ſuperioris Auſtriæ, (poſtquam ipſi ſuam mentem Serenitati ſuæ coràm per ſcriptum aperuiſſent,) declaranda, ne qua deinceps cunctatio & mora intercederet, quo minus quamprimum ad rem & obedientiam Suæ Serenitati Cæſaris nomine præſtandam accederetur. 1620.

Eodem die machinæ nonnullæ baliſtarum bellicarum Freiſtadium cum præſidio Anholtinæ legionis miſſæ ſunt.

Poſtero die Sua Serenitas Ordinibus ſeueriſſimè denunciari iuſſit, vt poſtridie ſacramentum Cæſari ſine vlla recuſatione & tergiuerſatione qua antehac vſi eſſent, dicerent, nec Suam Serenitatem ad alia properantem, diutius vlla ratione detinerent: quod niſi facerent, futurum vt alia via ad officium cogerentur. 18. Aug.

Sub idem tempus miles qui apud Ordines meruerat, & ad caſtra sereniſſimi tranſierat, Valentino Schmidt legato militari, tanquam tribuno contraditus eſt.

XIV. Cal. Septemb. vti Princeps edixerat, Ordines in arce Linziana comparuere, & Suæ Serenitati libellum ſupplicem porrexere, quo teſtati ſunt, *ſe per religionem nullo modo facere poſſe vt iuſiurandum prius edant obſequiúmque iurent, quàm de futura priuilegiorum ſuorum ſiue quæ ad politicum reipub. ſtatum ſiue quæ ad Religionem pertinerent confirmatione certi redderentur, nec ſancitum cum Bohemo fœdus eiurare & violare poſſe.*

1620. Interim tamen autographas fœderis tabulas ab Ordinibus Bohemiæ & prætoribus prouinciarum ſignatas & ſubſcriptas Sereniſſimo exhibuere, qui ſecundum prandium illis ſignificari iuſſit, nullum de priuilegiis præiudicium illis pertimeſcendum, ſi in præſens duntaxat obedientiam Cæſari ſpondeant.

20. Aug. Ergo poſtridie ſub horam XI. ante meridiem Ordines accepta ad vltimam obteſtationem ſatisfactione, primùm antiſtites ſacri, dein equeſter ordo, poſtremò ciuitatum ſtatus in verba Cæſaris ex præſcripto Principis iurarunt; ea ſe præſtituros, quæ Sua Serenitas imperaſſet, donec Cæſar ipſe ſuo loco & tempore hæreditarium ab illis vt legitimè ſubiectis iuſiurandum exigeret.

Quibus rebus perfectis, prætor illis Herberſtorfius, quingentorum equitum præfectus, datus eſt.

21. Aug. XII. Cal. Septembr. Linzio mouere Princeps ſtatuerat; ſed fœda imbrium tempeſtate præpeditus, quòd viæ tam alto cœno eſſent obſitæ, vt iumenta quæ grauiora tormenta vehebant, nullo conatu è cœno eluctari poſſent. Ita coactus eſt ſequenti etiam die Linzij morari, vbi ad prouinciæ tutelam peditum quatuor millia quingentos, cum equitibus itidem quingentis deſtinauit.

23. Aug. X. Calend. Septembr. Princeps quamuis aquis nōdum dilapſis, Linzio profectus ſecum tres duntaxat legiones Häslanganam, Rouillanam & Lotharingicam cum equitatu duxit. Sed iter tam impeditum paſſim occurrit, vt eo die non niſi quinque millia paſſuum cum exercitu conficere potuerit, & in ditionis Starnbergicæ vicum

diuer-

diuerterit, inſtrumento bellico alia via ad foſſam lepora- 1620.
riam cum curulibus baliſtis delato.

Poſtridie idem, re diuina, quòd feriæ D. Bartho- 24. Aug.
lomæi agitarentur, in æde profanata, nullo templo vbi
Catholico ritu ſacra fierent occurrente, peracta, Freiſta-
dium contendit, vbi Principem Balthaſar Maradas equi-
tum præfectus, expectabat, vt communicatis inter ſe
conſiliis de ſumma rerum deliberarent. Sereniſſimum
Principem dum vrbem ingrederetur, Magiſtratus, quo
potuit cultu & pompa excepit, plurimùm gratulatus Suæ
Serenitati, quòd prouinciam tam felici euentu in pote-
ſtatem redegiſſet, apprecatus etiam vti deinceps quoq;
res in Bohemia pro voto ſuccederent.

VIII. & VII. Cal. Septembr. datus militi ad abſter- 24. & 25. Aug.
gendas viæ moleſtias & vires colligendas, inſtrumentúm-
que bellicum, currus, & plauſtra, per iter vehementer
læſa & corrupta, reparandum; nec non conſiliis cum le-
gato Balthaſaro agitandis conſumtus, quo ſimul tempore
de Spinolæ aduentu cognitū eſt, illum XV. Cal. Septemb. Coblenz.
ad Confluentiam cum exercitu ex Belgica progreſſum &
XIII. inde Rhenum versùs profectum.

Inter hæc Sereniſſimus Princeps per curſorem Pala-
tino VII. viro & Ordinibus Bohemiæ Morauiæ & Sileſiæ
impoſitam ſibi ab Cæſare prouinciam denunciauit, & per
omne paſſim regnum, & ſocios regni populos ſpargi iuſ-
ſit: cuius denunciationis hæc erat ſententia.

*Ab Imperatore Romanorum Ferdinando eodémq; rege Vn-
gariæ & Bohemiæ munus ſibi graue & arduum, quod ſimul ad
omnes Bohemiæ Ordines pertineret, quamprimùm exequendum,
impoſitum eſſe: quòd equidem ex animo doleret ipſe Princeps, nul-*

1620. *lum à Bohemis locum datum eſſe tot & tam variis ſeptemuirûm, Principûm & Ordinum Imperij admonitionibus & hortationibus, præſertim ipſius Principis Boiorum ſingularibus & fideliſſimis conſiliis grauiſſimiſq; rationum momentis, quibus oſtenſum fuerat quæ & quanta mala tum ipſi inprimis regno Bohemiæ, tum verò viciniis regnis & prouinciis adeóque toti Romano Imperio impenderent, quòd omnia nempe proximè ab vltimo exitio abeſſent, dum Ordines Bohemiæ reiectis omnibus mitioribus conſiliis, quibus reſpub. ſanari poterat, rem in eum locum deduxerunt, vti tandem vltima remedia viderentur adhibenda, & iam enſe, quicquid corruptum erat, recidendum eſſet, ne pars ſincera quoque in exitium traheretur, quod ſine multo vulnere & ſanguine Chriſtiano fieri vix poſſet: A qua muneris laborioſa & periculoſa functione Sereniſſimus ipſe pro miti ſuo ingenio ſanè vehementer abhorruerit, & abſtinuiſſet omninò vim, niſi per ſupremum ſibi à numine aſſignatum Imperij magiſtratum & Imperatorem, cui parendum fuit, ad eam quantumuis arduam prouinciam fuiſſet euocatus. Voluiſſe ergo Principem hoc ſibi commiſſum & præſcriptum ab Cæſare imperium per publicas tabulas ſimul omnibus regni Ordinibus & regno adiectis prouinciis tranſmittere, & palàm denunciare, vt intelligerent adhuc locum eſſe gratiæ apud Imperatorem, ſi legitimo ſuo magiſtratui parere non recuſent, alioqui vim eiuſdem & iuſtam animaduerſionem experturos. Facerent proinde & poſt delatam ad ipſos & acceptam hanc cognitámque denunciationem ſimul omnes Ordines quamprimum ſe Principi promtis paratiſque animis ad obſequium Cæſari præſtandum ſiſterent, gratiamque Imperatoris, ſubmittendo ſe & obſequendo, demererentur, ſuámque fortunam ſuorúmque omnium & regni totius præſentiſſimum periculum etiam atque etiam perpenderent, & curæ haberent, ſuiſque rebus conſulerent, nec ſe vlla ratione ab ſui veri*

iuſtique

iuſtique magiſtratus obedientia ab vllis mortalibus, præſertim ab 1620.
iis dimoueri paterentur, qui cauſa tantorum malorum & auctores ſeceſſionis & defectionis extiterunt, ſed lamentabilem regni ſtatũ, tantùm non animam agentem, ab vltimo exitio & diriſſimo ſeruilique & intolerabili iuratiſſimi hoſtis reipub. Chriſtianæ iugo (quod omnes prouinciæ ab illo ſubactæ, Ordinéſq; & Principes qui ab illius auctoritate pendent, nimiũ quantum ſentiunt & ſerò deplorant) eriperent, & verò iuſtóque ſuo & clementiſſimo regi delecto, regiiſque inſignibus ornato ac oleo ſacro delibuto, ſacræ nempe Cæſareæ Maieſtati (cui ſe iuſto véróque & debito obſequio per ſanctiſſimum iuſiurandum iam ante obſtrinxiſſent, quique obſequentes omni venia donare & in priſtinum gratiæ locum recipere eſſet paratus) in integrum reſtituerent, ita futurum vt per optatam reparatámque pacem regnum in dies magis magiſque effloreſcat potius, quàm vt ipſi in cæpta pertinacia, contumacia ſua progreſſi, certam ſibi perniciem regnóque exitium, cum æterna nominis ſui infamia, quam apud omnem poſteritatem incurſuri ſint, reiectâ quam Sac. Cæſ. Maieſt. illis toties obtulit clementiã & veniâ creent & inferant, ſimúlq; ſeipſos & iuxtà ſecum coniuges liberóſq; ac familiam totam, ipſumq; florentiſſimum regnum, militi exteriſque nationibus prædæ ac direptioni exponant.

Et cum Sereniſſimus Princeps, cùm propter eos qui ad officium & obedientiam Sac. Cæſ. Maieſt. redierunt, tum propter perduelles ad idem obſequium reuocandos, ex imperio Cæſaris iam cum omni exercitu Bohemiæ immineat, & ex itinere ab omnibus conueniri commodiſſimè poſſit, monendos iterum atq; iterum putauit, ne oblatam S. Cæſ. Maieſt. veniã gratiam & pacem reſpuant, ſed ſecum ipſi recognoſcant, caueántq; ne quid regnũ ipſorum detrimenti capiat, ſtudeántq; cùm ſaluti ſuæ, tum vniuerſæ reipub. Chriſtianæ, nec ita temerè, ſalui adhuc, in vltimũ exitiũ ruant & præcipitent.

Cura-

1620. *Curabunt prætereà Ordines hanc Sereniſſimi Principis vltimam denunciationem & citationem per omnes vrbes & opida publicè proponi & promulgari, ne ſi ſecus quid vſu veniat, ipſi vltimarum calamitatum culpam præſtare cogantur.*

Tabularum porrò Cæſarearum ad Ordines Bohemiæ quibus Suæ Serenitati hæc tam grauis prouincia Bohemiæ reducendæ, per imperium demandata eſt, verba è Germanico translata hæc fuere.

Facilè Ordines regni in memoriam regredientur immanis illius & ante diem illum inauditi facinoris, quod nonnulli ex eorum
23. Maij. *claſſe auſi ſunt, cùm ante d. X. Cal. Iunias qui Mercurij fuit, poſt Rogationes, anno P. C. N. M.DC XIIX. duos Illuſtriſſimos viros & regni præſides ac vicarios cum tertio, qui ab Secretis erat è regio tabulario in ſubiectam arci foſſam præcipites deturbarunt, & extemplò ad tuendum ſcelus ſuum militum delectus inſtituerunt, aliáque haud pauca in perniciem reipublicæ machinati ſunt. Quòd cùm piæ recordationis Rex & Imperator Matthias Sac. Cæſ. Maieſt. ſuæ cognatus, & alter quaſi parens, accepiſſet, pro eo ac debuit, vt naſcenti malo quamprimùm occurreret, publicis literis III. Idus Iunias eiuſdem anni omnes Imperij Ordines à malè captis amantiſſimè dehortatus eſt, paratúmque ſe ad honeſtiſſimam legationem ad Ordines mittendam, quæ & cauſam cognoſceret, & pacem componeret ſimúlque nomine Cæſaris promitteret prærogatiuarum regni, immunitatum ac priuilegiorum & ſingillatim regiarum literarum, quas Maieſtatis appellant, auctoritatem promiſſa omnibus defenſione ac tutela, ſartam tectam conſeruatum iri. Enimuerò cum tam fida amicáque & ſincera Cæſar admonitione, promiſſione & obteſtatione (quam literis comprehenſam auctores perduellionis etiam oppreſſerant ne in vulgus emanaret) nihil apud contumaces & perduelles profeciſſet, & illi non modò in malè captis per-*

perſeuerarent, ſed quod deterius eſt eadem grauiùs etiam vrgerent, 1620.
adeóque nouam reipub. formam condere molirentur, triginta è ſuo
ordine tyrannos ſeu præſides regni (quos Directores dixerant)
inſtituerent, præſidia militum paſſim augerent, populares magnis
exactionibus onerarent, multis bona per vim extorquerent, præ-
fecturas regias, ac tributa penſionéſque annuas occuparent, & in
ſupremi ſui magiſtratus ſacræq́; Cæſ. Maieſt. contumeliam & in-
famiam, famoſos libellos, confictis & falſis commentis conſarcina-
tos, vanitatis plenos, per omne regnum & imperium Romanum
ſpargerent, & alia hoc genus facinora non pauca deſignarent.
Quibus rebus coactus Imperator eodem anno, die Lunæ, qui dies
S. Iacobi ferias ſequebatur, alterum edictum ad eoſdem Ordines
tranſmiſit, quo poſt priorum facinorum enumerationem ſeueriſſi-
mè præcepit, vti ab ſuis impiis conſiliis deſiſterent, perduellibus &
hoſtibus reipub. pronunciatis, qui non ſtatim ab lecto & cognito de-
creto Cæſaris, & abſentes intra quartum decimum diem ſeſe Cæſari
ſubiicerent, & ad obſequium paratos oſtenderent. Sed nihil hoc
Cæſaris edicto moti contumaces, conſilia ſua non ſolùm non corre-
xerunt, ſed acriùs etiam inſtare, & pertinaciùs vrgere cœperunt.
Cæſare interim ex præſentibus turbis & tumultibus ad ſempiter-
nam quietem per mortem euocato, ſucceſſor regni & Imperij Fer-
dinandus in certiſſimam ſpem venit, futurum vt mutato Principe,
etiam ſubiecti, qui anteà tumultuabantur, animos & conſilia mu-
tarent, & ſeſe erga S. C. Maieſt. iam antè acceptum, coronatum
& hæreditarium regem, ſtatim ad prima regni ſuſcepti auſpicia,
tum fidos obſequentéſque clientes, exhibituros, cùm ab illo nulla
vnquam in re læſi vel offenſi eſſent & literas etiam ab S. Cæſ. Ma-
ieſt. clementiæ & humanitatis pleniſſimas, vnà cum omnium ſuo-
rum priuilegiorum immunitatum & regiarum Maieſtatis litera-
rum ad ſupremum regni præſidem Burgrauium miſſarum, cum

1620. *conſueta lege remittendarum confirmatione accepiſſet, & Cæſar interim per inducias, armorum vſum ſuſpendiſſet, & ad militem omninò exauctorandū ſe paratum oſtendiſſet, ſi quam ipſi pacis & obſequij ſpem feciſſent. Quin & paſſurum ſecum de venia & pace agi, ſi quos ad ſe pacis arbitros & ſequeſtros allegarent. Adeò omnia vltima Cæſar pacis amantiſſimus tentauit, quibus ſtudium ſuum erga ipſos ad omnes æquas pacis conditiones admittendas declarauit. Sed perduelles obfirmatis animis progreſſi; ne reſponſo quidem Cæſarem dignati, literas etiam ab eodem miſſas nonnullas adeò pernicaciter reiecerunt, vt interim in dies copias vehementer augerent, populares ad arma ſingillatim euocarent, ipſique legiones in cāpum educerent, & Morauiæ dynaſtiam partim armis, partim malis artibus & dolis circumuentam in ſuas partes pertraherent. Quin & Auſtriæ ſecundæ ciuitatem Laam obſidione cinxerunt, ac demū iunctis viribus ad ipſum Auſtriæ caput & regiam prouinciæ, Viennam progreſſi, multa ibi petulanter & hoſtiliter auſi ſunt. Cæſaris interim nomen per omnes etiam exteras regiones falſis & odioſis criminationibus traducere conati, & paſſim contemnendum omnibus ridendúmque propinare. Quas ob res etſi clementiſſimo Imperatori iuſtiſſimas cauſas præbuerant omnem illis deinceps veniæ & gratiæ ſpem penitus præcidendi nihilominus mitiſſimum ingenium ſuum perduellium pernicacitate vinci paſſus non eſt, ſed die Sabbathi poſt Sanctiſſimæ Trinitatis feſtam lucem anni M. DC. XIX. rurſus palàm vltrò tabulas veniæ cum fida paternáque cohortatione, propoſuit, vt quicunque obſequi legitimo ſuo regi vellent, apud ſupremum belli ducem Carolum Buquoyum legatum ſuum, ſua nomina profiterentur & ex Cæſaris auctoritate venia impertiti in gratiam reciperentur.*

Sed perduelles omni venia gratiáque indigni, tantam Cæſaris clementiam inſuper habuerunt, quam non ſine graui eiuſdem

con-

contemtu impudenter reiecerunt, plura indies machinati ſunt, quibus Cæſari agrè facerent, eiúſque iuſtiſſimam in ſe indignationem & iram concitarent; eò demum improbitatis & contumaciæ progreſſi, vt (cùm Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Princeps & pontifex Moguntinus Imperij Romani Septemuir Ferdinandum Regem Vngariæ & Bohemiæ, & in Septemuiratu collegam, cum aliis VII. viris ad XIII. Cal. Sextiles anni M. DC. XIX. Francofurtum ad creandum Regem Romanum euocaſſet, iſque pro more & lege comparuiſſet) regium illi Bohemiæ diadema cum dignitate Regia detrahere conati ſint, & cùm per literas, tum per legatos cum reliquis VII. viris egerint, ne Ferdinandus ad Septemuirûm conſilium & creationem regis Romanorum admitteretur. 1620.

Sed enim improbis illorum votis aliter quàm ſperarant reſpondit euentus, cùm nón ſine publica ignominiæ nota damnatis illorum poſtulatis, Ferdinandus Imperator non ſolùm in Septemuirûm conſilium & ſuffragium, tanquam verus, iuſtus & legitimus Bohemiæ Rex admiſſus, ſed idem paullò pòſt V. Calen. Septembris ipſo die D. Auguſtino Sacro cœleſtibus ſupremi numinis auſpiciis, lege & Ordine iuſtè veréque omnium votis & animis Rex Romanorum ad ſummum Imperij faſtigium ſuo loco prouehendus, ac demum V. Idus Septembr. feſto ſolennique ritu regiis inſignibus cum publico triumpho indutus & coronatus eſt.

Et ecce clementiam Cæſaris, qui cùm grauiſſimas & innumeras iuſtiſſimæ iræ & indignationis in perduelles cauſas haberet, omnibus tamen iniuriis ſuis neglectis, Francofurti, VII. viris omnibus, nullo exempto, ab Sua Maieſtate petentibus, vti ipſis cognitionem cauſæ & pacificationem Bohemici tumultus permitteret, ſtudio & deſiderio pacis totum negotiũ illorum arbitrio & iudicio permiſit, cùm intereà loci perduelles Bohemi præter alias prouincias ad ſocietatem belli ſolicitatas, maiorem ſibi Pannonum

1620. *partem adiungerent, & ad eandem defectionem pertraherent, ſimúlque Pragæ conuentum, euocatis etiam ſubiectarum ſeu annexarum regno prouinciarum magiſtratibus ad ſpeciem indicerent, perinde quaſi ex communi conſilio decernendum eſſet, quid ad Cæſaris literas reſpondendum videretur, cùm reuerà alia omnia molirentur. Nam eo in congreſſu virus omne, quod viperæ diu coxerant, euomuerunt; pro denunciata enim conſultatione, perduelles illi, ſociarum etiam prouinciarum ſuffragio, quod illis nullum vnquam fuit, neglecta ſacramenti quod legitimo ſuo magiſtratui & regi dixerant religione, contemta fide, obſequio, iureiurando, de nouo rege creando cæca ſuffragia inierunt, & Fridericum Palatinum Imperij VII. virum perſonatum & theatralem regem pro vero rege ſuo, deſignarunt, capútque regni, abdicato Ferdinando, pronunciarunt.*

Ita Palatinus vitio creatus, vitioſæq; creationi ſuffragatus, fucatam Ordinum ſententiam ratam habuit, & regnum (quãuis ipſe Francofurti paullò antè per legatum cum plena ſuffragij ferendi poteſtate miſſum, cum aliis Imperij VII. viris Ferdinandum Cæſarem pro iuſto, vero & coronato rege Bohemiæ recognouiſſet, cenſuiſſet & coluiſſet, & mox eundem regem Romanorum cum aliis ſuo ſuffragio creaſſet) admiſit, & regio pòſt diademate ſua opinatione verè, ſed reuerà vt perſona in circo & ludo inſignitus, ſibi ſacramentum ab adnexis etiam regno prouinciis dici, fidem iurari, obſequia promitti, & vt regi præſt..ri paſſus, alia etiam paſſim regia ſibi munia, quæ non niſi iuſti, legitimi, hæreditarij, coronati & Imperij Romani fiduciarij ſunt, contra ius, fas, ſumſit & arrogauit.

11. Decembr. an. 1619. *Quanquam Cæſar vicem ſubiectorum, quos belli procella potiſſimùm afflictura erat, dolens, nunquam ſuæ clementiæ oblitus III. Idus Decembr. adulto iam anno M. DC. XIX. extremum adhuc*

huc mandatum edidit, quo omnibus, qui ſe obſecuturos ſuæ Maieſtati pollicerentur, veniam daturum deſenſurúmque prolixè recepit. 1620.

Interim tamen impias perduellium molitiones & machinationes Imperator, quòd res in omnem poſteritatem peſſimi exempli eſſet, diutius ferendas minimè ratus, ne vindictam quoque numinis propter impunita tanta facinoroſorum hominum ſcelera experiretur, pro iure ſuo & ſuorum hæredum & regni Bohemiæ ſucceſſorum aſſerendo, auſpice Deo, vim tandem neceſſariò adhibendam, & omnia vltima tentanda iudicauit, quo ſubducta ſibi regna & prouincias reciperet, & ſubiectos malis omnibus oppreſſos è tantis calamitatibus explicaret.

Proinde cùm Sua S. Cæſ. Maieſt. in Sereniſſimi Boiorum Ducis Maximiliani & aliorum nonnullorum Imperij VII. virûm & Principum certa fide ſpem ſuam collocaſſet, & eorundem fideli opera ad inſtaurandam pacem vti vellet, viſum eſt Suæ Sac. Cæſ. Maieſt. Sereniſſimo Boiorum Principi hanc prouinciam ad retundendam perduellium Bohemorum contumaciam ex auctoritate ſua & poteſtate Cæſarea imponere, vt quoſcunque Sua Serenitas Cæſaris nomine ad ſuum aduentum citaret, & illi non reſponderent, nec in Cæſaris poteſtatem & obſequium concedere, nec illum legitimum ſuum verúmque regem agnoſcere & admittere, nec ſe ab perduellibus ſeiungere vellent, illos vi armiſque perſequeretur & ad officium cogeret: Obſequentes verò Cæſaris nomine in fidem & tutelam reciperet, illorúmque corpora, vitam, fortunas, agros, fundos, opéſque omnes tueretur, & vim hoſtium ab illis arceret. Seueriſſimè ergo ſuam Sac. Cæſ. Maieſtatem omnibus Bohemiæ Ordinibus, popularib. & ſubiectis imperare, vt quoſcũq; quocunq; loco & modo Sereniſſimus Princeps Boiorum ex Cæſ. auctoritate ad obſequium eidem præſtandum euocaturus eſſet, ſtatim ad Principis imperium

1620. *ſe ſiſterent, parerent, & quicquid is praſcriberet, ſine mora & contumacia exequerentur: ſuam ipſorum ſalutem inprimis curarent, nec ſe ab ſeditioſis reipublica perturbatoribus ad ſuam ſuórumque & patria perniciem ab obedientia retrahi aut retardari paterentur. Et ne quis per inita cum perduellibus fœdera aut iuſiurandum, aut pacta conuenta, aut quacunque ratione ſocietatem, quæ per ſe nullam vim aduerſus legitimum ſuum magiſtratum, regem, & hæredem obtinent, excuſaret, Sac. Suam Caſ. Maieſtatem omnia huiuſmodi pacta, fœdera, promiſſa reſcindere, tollere, abrogare, & ſubiectos omnes quacunque ratione implicitos ab omni iureiurando abſoluere, liberóſque pronunciare: Obſequentibus verò, iura ſua & iuſta priuilegia ſarta tecta conſeruaturam, optima fide promittere & conteſtari.*

Literarum verò ad Fridericum Palatinum compoſitarum ſynopſis & epitome hæc eſt: *Facilè ipſum poſſe in memoriam reuocare quàm bona fide, ſincerâq; mente, germanóque & ſolicito pectore & animo Sereniſſimus Boiorum Princeps Maximilianus tam antè, quàm pòſt umbratilem illam & vanam noui regis Bohemia creationem Comitem Palatinum Electorem per literas quarto & vigeſimo, ſexto & vigeſimo Septembris, ſeptimo & ſexto ſupra vigeſimum Octobris anni M. DC. XIX. & ſequenti anno, vigeſimo quarto Martij, X. Aprilis & V. Maij cum expreſſa praſentis rerum omnium ſtatus imagine miſſas admonuerit & omnibus modis dehortatus ſit, ne alieni regni coronam, iam alteri deſponſam, traditam & impoſitam, admitteret, aut appeteret, nec opem ab Turca, nec ſubſidia ab Turca mancipiis efflagitaret, neue Principis in Europa populi Germanici libertatem hoſtibus Imperij proderet. Caueret etiam ne per damnatam huiuſcemodi, & ex præiudicio Principibus & Monarchis periculoſam & inſidio-*

ſam noui regis, legitimo regnante, ſuffragationem, non ſo- 1620.
lùm duo nobiliſſima regna, tanquam Imperij Romani & Germaniæ clauſtra & propugnacula, Vngariam nempe & Bohemiam antehac ingenti ſumtu labore & ſanguine Chriſtiano aduerſus hoſtem defenſa, cùm aliis hæreditariis Auſtriorum prouinciis in vltimum exitium & barbaram & inextricabilem Turcæ ſeruitutem ſecum traheret, ſed ipſam etiam vniuerſi Imperij Romani Rempublicam per inteſtinas ſeditiones, tumultus & ſeceſſiones diuulſam & diſcerptam, exteris & barbaris gentibus prædæ exponeret & deleret, ac demum ſeipſum (adhuc ſaluum, & inter ſuos cum ſumma auctoritate degentem & imperitantem) ſeſéque alios in certam & exitiabilem perniciem actos, funditus perderet. Alienum prorſus ab eius fama, honore, dignitate eſſe, vt ipſius nomine & cauſa, adeóque per ipſum florentiſſima regna & prouinciæ talem & tam miſerandum in modum per hoſtilem armorum concurſum, cum tanta Chriſtiani ſanguinis impenſa, penitus euertantur & intereant. Quin potiùs quòd non lata ſed nata lex naturáque ipſa docet, Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; Comes Palatinus in Septemuiratu Imperij collocatus, alieni regni inſignia iuſto & veteri Domino ſuo redhibere ſtudeat, populóſque deſertores & perduelles ad officium, fidem & obſequium reuocare, atque incliti & fortiſſimi herois Philippi Comitis Palatini agnati ſui exemplum inſtaurando & memoriam renouando, Chriſtianam Rempubl. ab immanitate barbarica Turcicaq; ſeruitutis iugo defendere, & omni ope & mole propugnare potiùs conetur, quàm cruento & iurato nominis Chriſtiani hoſti ſanguinem Chriſtianum hauriendum propinare.

Hæc & hoc genus alia præclara monita, cùm Sereniſſimus Boiorum Dux ad Fridericum Palatinum VII, virum optima fide &

1620. *conſilio perſcripſiſſet, illam clauſulam neceſſariò addere coactus fuit, Quòdſi Palatinus reiectis omnibus conſiliis in malè cœptis perſiſteret, & Imperator ac Reſpublica in maiora pericula vocarentur, & Dux ipſe Boiorum cum aliis Imperij collegis ab Imperatore, cui ex officio parendum ſit, ad auxilium reipub. ferendum euocaretur, aut deſperatis omnibus mitioribus conſiliis, ad extrema deſcendendum eſſet, tum verò Sereniſſimum Principem Maximilianum pro ſua parte & officio & Cæſari ſupremo Imperij capiti hoc exigenti, & inclinatæ & propè depoſitæ reipub. opem imploranti, (quam ab omnibus ciuibus aduerſus quoſcunque hoſtes Reipub. in eo diſcrimine conſtituta, iure efflagitat) omnibus copiis & opibus ſuccurſurum, & publicam fidem priuato ſanguini & propinquitati antepoſiturum. Voluiſſe igitur Sereniſſimum Principem eade re Comitem Palatinum Septemuirum cognatum ſuum pro iure intimæ amicitiæ, ſanguinis, propinquitatis, & vicinitatis, iterum monitum, vt præter publicas Imperij cauſas & prater illas quæ priuatim ipſi cogitandas relinqueret, tandem ab nouis illis rebus & perniciosis reipub. molitionibus deſiſtat, eáque in re optimum Principis animum agnoſcat, prout in literis ſuis aliàs agnouit cùm Sereniſſimo Principi reſpondit, Optimum illius erga ſe animum aduertere, videréque admonitionem multis & magnis rationum firmamentis nixam è ſincero germanóque pectore & affectu profectam, curam quoque ipſius ſingularem cùm erga ſe, tùm totam Rempub. non ignorare, denique quicquid ab fido certóque amico ac propinquo expectari potuit, ſe expertum, haberéque eo nomine Suæ Serenitati quantas animus capere poſſet gratias, &c. Ceterùm cùm Sereniſſimus Boiorum Dux his tantis tam fidis & amicis monitis non ſolùm nihil profectum ſenſiſſet, & res Chriſtiana quotidie in peius laberetur, adeóque iam in cardine diſcriminis atque acie nouaculæ verſaretur, Imperatorem, cùm ob hæreditarias ſuas prouin-*

cias,

cias, quæ defecerant inter quas Auſtria prima cis Anaſſum & regnum Bohemiæ periclitabantur, & auulſa penitus videbantur, coactus auxilia circumſpicere, & belli gerendi ducem creare, & duram demum hanc prouinciam ſereniſſimo Boiorum Principi ſuſcipiendã exequendámq; imponere: Quod cùm Principi magnoperè doleret, rem eò deductam, ob quam ipſe ſæpe grauiter ingemuiſſet, mallétque ab hac tam graui, moleſta & periculoſa functione abſtinere; proindéq; optimo affectu optimáque fide hoc ipſum Palatino voluiſſe per litteras denuò aperire, eundem & iterum atque iterum ab his vltimis conſilijs deducere, atque dehortari ne in extremum rueret exitium, ſed omnibus potius modis ſtuderet, vt optimorum Principum cùm VII. virûm, tum aliorum optimis conſiliis locum daret, coronam regi legitimo prius electo, creato & inſignito hæreditario reſtitueret, Bohemiam & prouincias regno annexas Imperatori redhiberet. Exitialia verò & ab iuratis & apertis, occultiſq; & tectis nominis Chriſtiani hoſtibus nata, & rectà ad ſeruitutem Turcicam ſpectantia, exulcerata & deſperata perditáque conſilia repudiaret, ac penitus abijceret, cum optimis Imperij collegis, popularibus, & omni Germania, Barbari hoſtis molitiones, totis viribus præpedire & euertere conaretur, omniáque ſua conſilia ad Chriſtianæ Reipublicæ inſtaurationem, quietem, ac ſalutem, conferret. Quæ in re operam inprimis ſibi ipſi & ſuis prouincijs, dein Imperio Romano, & regnis Imperio coniunctiſſimis, ac toti Germaniæ ſaluberrimam, atque ipſi cæleſti numini (quod omnes ſubiectorum ab legitimo ſuo magiſtratu defectiones & ſeceſſiones ſemper auerſari, & in auctores huiuſmodi turbarum grauiſſimè animaduertere ſolet) gratiſſimam præſtaret, & ſeſe & alios ab multis imminentibus cladibus & extremo exitio liberaret. Quòdſi hæc ſecus, quàm omnes optant, euenirent, & Ordines Bohemiæ Cæſaris Imperio, quod ſereniſſimo Principi Boiorum exequen- 1620.

1620. *dum demandauit, & Princeps illis expoſuit, cedere nollent, tum Principem ex Cæſaris auctoritate coactum iri illa quæ in mandatis accepiſſet exequi. Ad quam rem quamcunque in partem ſe Ordines verterent, Principem iam eſſe in armorum procinctu, rectáque in Bohemos ducere, illóſque (nam de Palatini perſona aliam eſſe rationem) pro vſu præſenti, vel bello perſequuturum, vel ſi manus dent & Cæſari ſe ſubiiciant, in gratiam recepturum.*

Prouinciam Anaſſianam primæ Auſtriæ in Principis verba Cæſaris nomine iuraſſe, quod Sua Serenitas abſque vllo gentis incommodo factum peroptaſſet, ſed cùm Ordines & populus ſperatos medelæ & obſequij terminos primùm tranſiliiſſent, & venienti Principi armatos alicubi obieciſſent, omnia belli incommoda, vt res fert, caueri non potuiſſe, ſed rem Deo & euentui committendam fuiſſe. Freyſtadij VIII. Calendas Septembris, M.DC.XX.

26. Aug. Poſtridie Herſebergio & Haimhuſio Ordinum ductoribus per literas mandatum eſt, vti cum ſuis copiis mille ſexcentis equitum, Septem millibus peditum Bohemiam peterent, & ſicubi graſſantem offenderent Mansfeldium, aggrederentur. Sed Mansfeldius non expectato legionum aduentu, procul à Boiorum finibus receſſit, & primùm Teinium, dein Bechinum, ac demum Neuhuſium ſe contulit. Et cùm Balthaſar Marradas vir bello clarus, Teinium vicum inuaſiſſet & expugnaſſet, atq; LXXX. baliſtarios ſeu moſquetarios concidiſſet, Mansfeldius ex iis quoque locis ſe ſubduxit, & Pilſenam rediit, veritus ne exercitus Boiaricus vrbem id loci oppugnaret.

27. Aug. VI. Calendas Septembris, Sereniſſimus Princeps Freyſtadio mouit, & in dynaſtiam Roſenbergianam Vnderbai-

derhaidium peruenit. Comitatus hic erat Schvvanbergij, quem Cæſar Buquoyo donauit: ſed & vicus & totus hic ager in quo Princeps caſtra poſuit, præteritis duobus annis per militem ſpoliatus & ferè exinanitus erat. 1620.

V. Calendas Septembris, Sereniſſimus Dux pranſus, Caplizium, quod in Grazenſi dynaſtia eſt, & Buquoyo quoque paret, contendit. Vbi cùm Sua Serenitas cognouiſſet legionem ab Anaſſiana prouincia conductam Hornæ in præſidio eſſe, Ordinibus prouinciæ præcepit, vt illam eiſdem conditionibus, quibus alius miles deditus erat, Horna abductam ſibi transderent. 28. Aug.

Budevvitiani ciues Suam Serenitatem fauſtis gratulationum ſignificationibus in Bohemiam aduentantem ex itinere officioſiſſimè conſalutarunt.

Poſtera luce totus exercitus ſub meridiem Bohemiauium exuſtum & incendio deletum caſtrum attigit, & Strobonizium properauit. Inter hæc nunciatur, hoſtem circumquaque graſſari, & deprehenſos palantésque paſſim obtruncare, proinde Princeps per publicos præcones ſeuerè edixit, ne quis militum ab ſignis diſcederet. Eodem die miles Anaſſianus ab Ordinibus exauctoratus, & in ſtipendia Principis aſſumtus, alia compendioſiore via per ſiluam Bohemicam Weitrachium in Bohemiæ regnum penetrauit. Quo die ad eundem locum cum omnibus copiis Sua Serenitas peruenit. Situm eſt Weitrachium in Auſtriæ ſecundæ confinio, parétque dynaſtæ Fürſtenbergio, vbi Rumphius arcem magnificam & perelegantem edito monti impoſuit. 29. Aug.

Hic curſor ad Saxonem VII. virum miſſus, cum li-
1620. teris rediit, Statuiſſe quidem id temporis Principem Saxoniæ cum ſuo milite rectà Bohemiam petere, ſi per Luſatios fuiſſet, ſed poſteà veritum ne ab illa gente diſtineretur, cupere ſcire quam Bohemiæ partem Sua Serenitas inuadere cogitaret. Remiſſus ad Saxonem nuncius VII. viro ſignificauit, Boiorum Principem decreuiſſe militem Bohemicum, in ſecunda Auſtria Hornæ, Egenburgi & Rezij in præſidiis agitantem, aut vbicunque in illum incideret prælio aggredi.

23. Maij. Eadem die à Buquoyo legatus Italus Caracciolus, ad Sereniſſimum Boiorum Principem amandatus cõparuit, eo fine vt ab ipſius Serenitate mandatum acciperet, quo in loco vterque exercitus, Cæſareus nimirum cum Boiarico coniungendus eſſet: fuítq; huic coniunctioni deſtinatus locus, Noua Bela.

Quærat fortaſſe prudens lector, quid ſit quòd Sereniſſimus Boiorũ Princeps primùm Bohemiam ingreſſus eoúſque penetrarit, vt quindecim duntaxat millibus paſſuum Budevvitio abeſſet, eóque per viarum aſperrima & rupibus ac montibus propè inuia milite deducto, repente mutato conſilio, ad ſecundam Auſtriam deflexerit, & redierit, cùm ſi inferiorem prouinciam Auſtriæ ſtatuiſſet ingredi, Linzio, ſecundo Danubio, cum toto exercitu & machinis bellicis, eò nullo periculo aut labore aut ſumtu, potuerit deuehi & cum legionibus Cæſarianis coniungi? Factum hoc eſt ab cauto Principe non ſine ſingulari & meditato conſilio, vt hac ratione Ordines Bohemiæ, militem & præſidia ſua ex inferiori Auſtria, vbi magna damna dabant, auocare cogerentur, rati Suam Serenitatem caſtra

ipſi

ipſi regni capiti Pragæ rectà admoturum. Deinde noluit 1620.
Sua Serenitas ab hoſte ſua conſilia ex itinerum ratione deprehendi, quæ premi non potuiſſent, ſi Linzio miles per flumen in Auſtriam ſecundam fuiſſet deportatus, nec in tempore ad manus tanta nauium copia haberi potuit, per quas tantæ copiæ ſimul deferrentur.

Pridie Cal. Septemb. miles ex itinerum aſperrimorum moleſtiis fatigatus, conquieuit: & machinæ ploſtráque quibus tormenta vehebantur paſſim per confragoſas viarum ſalebras comminuta & confracta, reparata ſunt, ne quid deinceps vlteriori profectioni moræ iniiceretur. Vlt. Aug.

SEPTEMBER 1620.

CAlendis Septembribus Sua Serenitas ad Zvvetelium 1. Sept.
ciuitatem caſtra promouit, nec procul ab vrbe & cænobio; in campo conſedit vbi Buquoyum Cæſariani exercitus ducem expectauit, qui Nouam Belam, locum vbi vterque exercitus conuenirent, deſignatum, paulatim acceſſit.

IV. Nonas caduceator ab Sereniſſimo Principe ad 2. Sept.
Fridericum Palatinum & Ordines Bohemiæ cũ mandatis Cæſaris miſſus, in caſtra cum literis rediit, quibus Ordines Sereniſſimo reſponderunt, *cognouiſſe ſeſe ex Ferdinandi Cæſaris edicto & publicũ ad ſe miſſis tabulis, vti & ex ipſius etiam Principis Maximiliani literis, quantis & quàm grauibus de rebus (quæ ad Ordinum omnium & ipſius Palatini famam & honorem lædendum, odiúmque conciliandum, facerent, dum ea ab Ordinibus exigerentur quæ exigi nullo iure poſſent, quæq; ſemper negaſſent) inſimularentur, cuius rei contrariũ appareret ex Palatini*

1620. *tabulis aduerſus Cæſaris edictum euulgatis, ipſorúmque Ordinum ſcripto, quo ſua iura per longam temporum & rationum inductionem oſtendiſſent, & confirmaſſent, ex eodem etiam ſcripto conſtare quòd ea, quæ Ordines regni & prouinciarum regno parentium, conſilio publico ſuſcepiſſent & feciſſent, rite & ordine ſuſceperint & fecerint, paratíque ſint de iis & Deo, tanquam ſupremo iudici, & omnibus mortalibus, ab ſtudiis partium liberis, ſatisfacere & reſpondere. Tum deinde, cùm neque Palatinus nec Ordines Suam Serenitatem vlla vnquam in re læſerint, aut vicinitatis iura violarint, ſperare ſe Sereniſſimum Ducem, & inter primos Imperij Principes ſummáque auctoritate & ſapientia præditum, non commiſſurum, vt aduerſus Palatinum & regni Ordines, atque adiunctas regno prouincias, ſocióſque & fœderatos populos aliquid hoſtile moliatur, & inauditis Ordinibus, reclamantibus omnibus legibus, & gentium iuribus, ſuo ipſius periculo exequi Cæſaris imperium vi & armis aggrediatur. Quòd ſi tamen quid horum tentaturus eſſet, tum verò ex regni legibus & inſtitutis, omnes Ordines, ciues, & mortales, ad patriæ defenſionem concurſuros, & aduerſus quemcunque hoſtem, opes, famam, vitam, ſanguinem impenſuros. Nec enim aliud facere poſſe, quàm vt coniunctis animis & corporibus, permiſſis ab Deo & natura defenſionis ſubſidiis vtantur, & Palatinum ex omnium regni & prouinciarum Ordinum auctoritate, iure, lege, more, libertate, legitimè delectum, creatum, & coronatum, regem, vnà cum patria aduerſus vim & arma nunquam vllis culpis aut commiſſis prouocata, qui Ordines ob hoc ipſum tutelâ numinis eſſent ſecuriores, defenſum omnibus opibus & copiis, coniunctis etiam fœderatis regnis & prouinciis, vita, & ſanguine, (euentu rei cælo, & fatis commiſſo,) tutentur & propugnent. Cùm ergo hoc rerum ſtatu Cæſaris edictum & imperium ſibi nec curandum nec admittendum putent, ipſius*

ipſius prototypon & autographum Suæ Serenitati remittere. Pragæ III. Cal. Sept. M. DC. XX. 1620

Palatinus reſpondit, *Suam Serenitatem ex variis tum literis tum legationibus meminiſſe & cognouiſſe, quibus ipſe ex cauſis & rationibus regnum Bohemiæ acceptarit, quæ adeò firmas & æquas ſemper iudicarit, vt mutandi conſilij cauſam non haberet, præſertim cùm ipſe de fide & conſtantia Suæ Serenitatis erga ſe nihil dubitaret. Nec Suam Serenitatem ignorare ſæpius ab Ordinibus Bohemiæ & adiunctarum prouinciarum rationes iuſti facti ſui, cùm Ferdinando regnum eſt abrogatum, & liberis ſuffragiis ſibi oblatum, redditas, & quicquid contrà afferri argumentorum potuit, publicis tabulis & ſcriptis refutatum & dilutum. Cognoſcere eundem poſſe, quæ Ordines iam etiam, iuxtà ſecum ad Suam Serenitatem ſcripſiſſent, indéque alias quoque rationes facti ſui & illorum quæ ad ſummam rerum pertinent, peti poſſe. Illud verò permirum videri, nec capi poſſe, quo iure de mero & ſolo facto, repugnantibus omnibus Imperij legibus & decretis imperialibus, in regia & curia Cæſaris, ex Cæſaris auctoritate in cauſa ipſius priuata (cùm ipſe Palatinus & eius regna & prouinciæ nihil cum Cæſare controuerſiæ, ſed cum domo duntaxat Auſtriaca, quæ ius ſibi hæreditarium regni Bohemiæ vendicare necquicquam conatur, habeant) aduerſus Palatinum agatur & decernatur.*

Cæterùm quòd ſibi de captis ex re & cauſa deſperatis conſiliis obiiciatur, quaſi cum aperto Reipubl. Chriſtianæ hoſte aduerſus Imperium & patriam conſpiret, eámque propter ſperata auxilia, Turcicæ immanitati in ſeruitutem ſubiicere cogitet, id verò vanum, nec vnquã in mentem fuiſſe, conſcientiam ſuam, quæ præ cunctis teſtibus ſit ſe teſtẽ arbitrã quâ abſoluatur habere. Videant ipſi potiùs, qui Bohemos eorũq; fœderatos oppugnant, ne dũ priuatas

& ſuas

1620. *& ſuas res agunt, & perſequuntur, totum imperium Chriſtianum per inteſtinas ſeditiones in partes diſtractum, Turcæ prædam obiiciant, quod ipſe ſupremo rerum vindici Deo committat. Pragæ III. Cal. Sept. M.DC.XX.*

Eodem die interceptas à Buquoyo, Bethlemi Gaboris literas, Cæſar Sereniſſimo Principi Maximiliano miſit, inter quas fuere Principi ipſi inſcriptæ, quibus docet ſe ab Ordinibus primæ Auſtriæ Anaſſianæ impulſum, has iam alteras ad illum compoſuiſſe, moneréque Principem, adeóque minari ſe, ſi Sua Serenitas Ordines Auſtriæ fœderatos inuaderet, in Boiariam irrupturum, omniáq; flammis, ferro, cladibus, & cædibus permixturum. Nihil ſibi ad primam epiſtolam reſponſi datum: Iam poſtremùm monere, caueret, ſi ſaluus & ipſe & ſuos eſſe vellet.

Sed nec tum Sua Serenitas Gaborem vllo reſponſo dignatus eſt.

Per idem tempus Cæſar curſorem ad Suam Serenitatem miſit, qui nunciaret, eundem Gaborem IX. Cal. Sextiles publicè regem Vngariæ proclamatum, cum magno milite Poſonium contendere. Cæſar ergò partem exercitus ſui ad fines tuendos auocauit, & ſuppetias ab ipſo etiam Sereniſſimo petiit.

3. Sept. Cùm Sereniſſimus poſtridie caſtra mouere inciperet, venit qui Buquoy nomine moneret, ne ſe loco per illum diem commoueret, adeſſe hoſtem cum X. millibus & impetum in impedimenta ſua feciſſe, quinque de ſuis obtruncaſſe, ſarcinas nonnullas diripuiſſe; fieri non poſſe vt eo die caſtra cum ipſius caſtris coniungeret: Sperare intereà hoſtem in diuerſa abiturum, tum ſecuriùs ſe copias coniuncturos.

Ita

Ita Sua Serenitas eódem loci, ſequenti triduo hæſit, 1620.
& de annona atque inſtrumento bellico, puluere tormentario, glandibus ferreis, & quæ ad machinas haſce pertinent, prouidit. Commeatus quippe è Boiaria vſque petendus erat, & per Danubium Cremſium atque inde in caſtra deuehendus.

VIII. Idus Septembres nunciatum ex Belgica, Spinolam cum XX millibus peditum, & IV. millib. equitum Rhenum, nemine prohibente, traieciſſe, & commeatum liberum ab Mauritio Haſſo per ipſius prouinciam ſine cuiuſquam noxa petiiſse. Hoc ipſo die peropportuna annona, quæ iam propè defecerat, in caſtra Crembſio aduenit. 6. Sept.

Poſtridie Buquoyus Cæſariani exercitus ductor, caſtra Nouam Belam verſùs mouit, quo cognito, Sua Serenitas Oberdorfium petiit, vti poſtera luce caſtra coniungerent, & hoſtem ſimul aggrederentur. Eodem die Comes Hohenzollerianus ab Cæſare ad Saxonem legatus in caſtra rediit & quæ cum Saxone tranſegerat, expoſuit. 7. Sept.

VI. Idus prima luce Sua Serenitas cùm è fœnili, in quo pernoctem quieuerat, (ſic vſus belli fert) conſurrexiſſet, Oberndorfio profectus, ante meridiem, militem arci Greilenſtain admouit, quam præſidiarij primùm propugnare cœperunt, ſed mox vbi Sereniſſimum Principem ipſum cum omnibus copiis aduenire conſpexere, deditione facta Hornam abiere. Erat arcis dominus Ioannes Iacobus Kueſſtainius, qui apud Bohemos añonæ præfectum agebat, & Hornæ id loci degebat. Arx loco peramæno, eleganti opere recens extructa erat. Vbi Buquoyus, poſt alteram aut tertiam horam à Suæ Serenitatis aduentu, primùm ad dextræ oſculum admiſſus apparuit. 8. Sept.

1620. *& ſuas res agunt, & perſequuntur, totum imperium Chriſtianum per inteſtinas ſeditiones in partes diſtractum, Turcæ prædam obiiciant, quod ipſe ſupremo rerum vindici Deo committat. Pragæ III. Cal. Sept. M.DC.XX.*

Eodem die interceptas à Buquoyo, Bethlemi Gaboris literas, Cæſar Sereniſſimo Principi Maximiliano miſit, inter quas fuere Principi ipſi inſcriptæ, quibus docet ſe ab Ordinibus primæ Auſtriæ Anaſſianæ impulſum, has iam alteras ad illum compoſuiſſe, moneréque Principem, adeóque minari ſe, ſi Sua Serenitas Ordines Auſtriæ fœderatos inuaderet, in Boiariam irrupturum, omniáq; flammis, ferro, cladibus, & cædibus permixturum. Nihil ſibi ad primam epiſtolam reſponſi datum: Iam poſtremùm monere, caueret, ſi ſaluus & ipſe & ſuos eſſe vellet.

Sed nec tum Sua Serenitas Gaborem vllo reſponſo dignatus eſt.

Per idem tempus Cæſar curſorem ad Suam Serenitatem miſit, qui nunciaret, eundem Gaborem IX. Cal. Sextiles publicè regem Vngariæ proclamatum, cum magno milite Poſonium contendere. Cæſar ergò partem exercitus ſui ad fines tuendos auocauit, & ſuppetias ab ipſo etiam Sereniſſimo petiit.

3. Sept. Cùm Sereniſſimus poſtridie caſtra mouere inciperet, venit qui Buquoy nomine moneret, ne ſe loco per illum diem commoueret, adeſſe hoſtem cum X. millibus & impetum in impedimenta ſua feciſſe, quinque de ſuis obtruncaſſe, ſarcinas nonnullas diripuiſſe; fieri non poſſe vt eo die caſtra cum ipſius caſtris coniungeret: Sperare intereà hoſtem in diuerſa abiturum, tum ſecuriùs ſe copias coniuncturos.

Ita

Ita Sua Serenitas eódem loci, ſequenti triduo hæſit, & de annona atque inſtrumento bellico, puluere tormentario, glandibus ferreis, & quæ ad machinas haſce pertinent, prouidit. Commeatus quippe è Boiaria vſque petendus erat, & per Danubium Cremſium atque inde in caſtra deuehendus. 1620.

VIII. Idus Septembres nunciatum ex Belgica, Spinolam cum XX millibus peditum, & IV. millib. equitum Rhenum, nemine prohibente, traieciſſe, & commeatum liberum ab Mauritio Haſſo per ipſius prouinciam ſine cuiuſquam noxa petiiſse. Hoc ipſo die peropportuna annona, quæ iam propè defecerat, in caſtra Crembſio aduenit. 6. Sept.

Poſtridie Buquoyus Cæſariani exercitus ductor, caſtra Nouam Belam verſùs mouit, quo cognito, Sua Serenitas Oberdorfium petiit, vti poſtera luce caſtra coniungerent, & hoſtem ſimul aggrederentur. Eodem die Comes Hohenzollerianus ab Cæſare ad Saxonem legatus in caſtra rediit & quæ cum Saxone tranſegerat, expoſuit. 7. Sept.

VI. Idus prima luce Sua Serenitas cùm è fœnili, in quo pernoctem quieuerat, (ſic vſus belli fert) conſurrexiſſet, Oberndorfio profectus, ante meridiem, militem arci Greilenſtain admouit, quam præſidiarij primùm propugnare cœperunt, ſed mox vbi Sereniſſimum Principem ipſum cum omnibus copiis aduenire conſpexere, deditione facta Hornam abiere. Erat arcis dominus Ioannes Iacobus Kueſſtainius, qui apud Bohemos añonæ præfectum agebat, & Hornæ id loci degebat. Arx loco peramæno, eleganti opere recens extructa erat. Vbi Buquoyus, poſt alteram aut tertiam horam à Suæ Serenitatis aduentu, primùm ad dextræ oſculum admiſſus apparuit. 8. Sept.

1620. 9. Sept. Quinto Idus cùm Sua Serenitas miſſo præcone, à Bucheimio arcis Wildberg, quæ nō procul à Greilenſtein aberat deditionē fruſtrà petiiſſet, miſſo Anholdo Barone & ſupremo Vigiliarum pedeſtrium præfecto negotium dedit, vt cum aliquot cohortibus peditum & baliſtis curulibus arcē oppugnaret: qui negotium hoc paucis horis confecit, Miles præſidiarius domino deditionem faciente, exarmatus & dimiſſus, arci pſidium impoſitum. Pomeridianis horis, legiones Cæſarianæ, ſpectante Principe propter arcem tranſiere. Inter hæc q, in cœnobio Altenburgenſi præſidij ex Bohemis fuit, miſſo caduceatore vltrò in ditionem Suæ Ser.^tis ſe venturos, apud illam ſtipendia merituri, ſpoponderunt.

Miles Bohemicus qui in ſecunda Auſtria nōnullas arces, opida, & vrbes, Duce Anhaltino, occuparat, audito, Cęſarianas copias cū Boiaricis coniunctas, deſperabundi, quòd reſiſtendo non eſſent, deſertis omnibus q̄ ceperant, retrò quà venerant in Bohemiam rediere. Horna iam tormentis quaſſata, & Egenburgum ciuitates præfecto Traunio Cæſari deditionem fecere.

10. Sept. Quarto idus, cùm omnia Principis conſilia eò ſpectarēt, vt hoſtē è veſtigio ſecutus, vbicunq; occupaſſet, aggrederetur, vnóq; pręlio bellū perpetraret, huic optimæ Principis menti interceſſit annonę difficultas, q̄ maximo ſumtu, non minore periculo, ab vſq; ſæpe Bauaria longiſſimè petēda erat. Hoc ipſo tamē die ſub veſperā tantū aduectū eſt cōmeatus, vt vtriq; exercitui in 4. & 5. diem ſufficeret. Hinc Ser.^mus cum euocato ad ſe Buquoyo, de ratione annonæ deinceps tutò conuehendæ, déq; bello adminiſtrādo conſultauit. Sūmā in deliberando difficultas fuit quo-

modo

modò victus cōpararetur, q. is tam procul, vel è Boiaria petendus vel aliis remotiſſimis locis, nō ſine maximis ſumtibus, periculis, & labore, procurandus & cōuehendus eſſet, quibus factum eſt, vt Sua Ser.^tas iam ſæpius conſilia exequi non poſſet, nec tam citò quàm optarat, Bohemiā ingrederetur. Nā ex Auſtria & Bohemia nihil quod ad vitā ſuſtentandam pertinebat, haberi potuit, cùm iam antè pleraque regio vaſtata, agri neglecti, vici & pagi à cultoribus, propter palantem vbiq; militem, deſerti eſſent. 1620.

Poſtera luce victus pridie è Boica aductus, in militē eſt diſtributus, quo die Princeps accepit Herbipolitanas cohortes Straubingam appuliſſe, proximáqs via per oppidum Furtā in Bohemiam properare. Pridie idus Sept. cùm Sua Serenitas cum Buquoyo decrêſſet, hoſtem Droſendorfium vſq; perſequi, & Droſendorfium, quod ex itinere hoſtis circumſederat, obſidione liberare, Greilenſteinio, eo quoque conſilio diſceſſit, vt ſi hoſtis antè obſidionem, quàm duo exercitus aduenirent ſolueret, alióq; ſe & aliò vertendo aleam pugnæ declinaret, vterque exercitus rectà Bohemiam peteret. Huius de ſumma rerum conſilij cauſæ hæ fuere. Primùm videbant belli duces (quod facilè coniectura poterant aſſequi, cùm ſemel iam atque iterum id eſſet ab hoſte factitatum) hoſtem id agere velle, vt nullo loco conſiſteret, quò noſtras copias acceſſuras intelligeret, ſed huc illúcque diuertendo noſtrorum conatus eluderet, tempúſque, quoad bellandi occaſio elaberetur, traheret, noſtriq; exercitus perpetuò ſequendo fatigarentur. Deinde procul ab Iſtro diſcedendū erat, vnde ſequebatur, vt annona ſubuehi non poſſet, & miles cōmeatu deſtitutus, etiā ſine hoſte per famem expugnatus defecturus 11. Sept. 12. Sept.

 eſſet,

1620. eſſet, & hoc certius quòd quacunque incedendum erat, omnia per ſuperiorum annorum, & huius potiſſimùm, excurſiones vaſtata & deſerta eſſent, vti nuſquam quicquam cibi reperiretur, & non ſolùm panis & caro militi deeſſet, ſed auena, pabulum, fœnum, ſtramenta iumentis, nec vllus diuerſandi locus vſpiam ſupereſſet, præſertim frigidis per Septembrē noctibus iam ingruentibus, quod ipſum tempus annonæ difficultatem augebat. Poſtremò, quòd hoſtis demum, dum nullo loco conſiſteret, ſed ab vno ad alterum flammis iam antè & prædis exhauſtum, fugitaret, negligendus, atque omnino tandem neceſſariò deſerendus eſſet, quòd copiis vtriſq; tum Cæſarianis, tum Boiaricis parum honorificum futurum erat, magnúmque contemtum & infamiam pariturum, ſimúlque receptum & in tutiora regreſſum multò difficiliorem redditurum: quare miles necquicquam huc illúcque raptatus & fatigatus annonáque defectus, & fame atque inedia debilitatus, parum certè ad imperia promtus futurus erat, ſi non omnino exulcerandus & abalienandus, cùm nec ſine magno periculo hoſtem inſequeretur. Nam ex ipſo itinere haud procul Wildbergio, tres equitum Vngarorum turmæ (trecenti erant) in opacæ ſiluæ inſidiis latitantes, expectabant dum equitum ala, quæ exercitum præcedebat, aduentaret, in quam repentè exurgerent; quod & factum, cùm vnum & alterum equitem corripuerunt, ſed ab quinquaginta à Sua Serenitate ſubſidio miſſis, in fugam acti, nec auſi experiri, nec velitari quidem, ad ſuos refugerunt. Porrò vicus Dreſſidel (qui iunctam habet arcem, quam quinquaginta ſclopetarij Bohemorum defendebant), biduo ante aduentum exercitus Boiarici, ab Cæſariano mi-

lite:

lite incendio exhauſtus erat. Qui in arce curabant, ab Cæſarianis neglecti, cùm Boiaricæ copiæ aduentarent, expilata arce & præda aſportata, ad ſuos redierunt. Ibi ingens frumenti vis reperta, quam Bohemus ad legiones ſuas alendas eò congeſſerat. Cæterùm arcis domina erat vidua Streinina.

Idib. Septemb. Droſendorfium itum, quam vrbem hoſtis iam quatriduo obſederat, & baliſtis minoribus quindecim diuerberarat, ſed vbi noſtras copias aduentare inaudiit, mox à pedibus præſidium quæſiuit, & ad dextram, Znaim verſùs, in Morauiam profugit. Droſendorfium verò ſitum eſt editiore loco, minimè immunitum, aptiſſimum ad claudendum aditum, quà ex Morauiâ Auſtria petitur: hanc vrbem quingenti ſemper præſidiarij ab cæpto bello tuebantur. 13. Sept.

Cùm ergo hoſtis non ſolùm ab huius vrbis oppugnatione auerſus, iterúmque quodammodò in fugam actus, congreſſum noſtrum vbique declinaret, tum Buquoyus perſequendum in Morauiam exiſtimauit. Sed cùm Hornæ publico conſilio de ſumma rerum ita decretum eſſet, vt primùm omnium Droſendorfio ſuccurreretur, atque obſidione eximeretur, dein hoſtis vbicunque deprehenderetur, ad prælium, ſi alicubi conſiſteret, prouocaretur; ſi verò more ſuo fugitaret, pugnam declinaret, & noſtras copias à Bohemia conſilio auertere, atque aliò fugitando ad inſequendum nos inuitare & eludere conaretur, tum hoſtem relinquendum & Bohemiam atque Pragam caput belli, rectà petendam. Ab hoc conſilio cùm Sereniſſimus Princeps diſcedere nollet, Buquoyo quoque, quanquam inuito ſequendum fuit. Quòd niſi factum eſſet,

1620. magnopere verendum erat, ne ſe noſtri in grauiſſimas & inextricabiles difficultates ob imminentem hiemem & annonæ caritatem inducrent. Cùm contrà, hoſtis interim ſpacium ampliſſimum per otium ſe confirmandi & muniendi nactus eſſet, quod fieri non poterat, ſi vtraque iam Auſtria ſubacta & pacata, rectà Bohemia peteretur, & hoſti nullus reſpirandi aut ſe confirmandi locus daretur: quod belli noſtris ſtatim conficiendi magnam facilitatem pariebat.

14. Sept. XIIX. Cal. Octobr. Sereniſſimus Maximilianus arcem Vngerſchizianam, quæ Streininæ viduæ, cuius ſupra mentio facta, parebat, ad deditionem ſolicitauit, & cùm reſiſtentes præſidiarios L X X. curulibus baliſtis terruiſſet, deditione facta propugnatores cum ſarcinulis dimiſit. Arcem antè Cæſariani Coſaci, quamuis nihil ad occupationẽ contulerint, tamen quà potuerunt accedere ſpoliarant. Sereniſſimus in arce per illũ diem hærere coactus eſt, vt de cõmeatu, qui defecerat, prouideret. Buquoyo, quem dux itineris paullò longiùs à Boiaricis copiis abduxerat, cùm hoſtis magno numero paſſim compareret, Princeps duo millia equitum ſubſidio miſit, vt ſi locus pugnæ daretur, hoſtem non ſolùm ſuſtinere, ſed nocere etiã & cladem aliquam inferre poſſet. Sed cùm Bohemus nihil eo die tentaret, Buquoyus ſub veſperum in deſtinatum caſtrorum locum ſaluus cum ſuis peruenit.

Sack vñ Pack.

Per idem tempus ab Cæſare nunciatum eſt, duo millia equitum ex Vngaria, Danubium iuxta Poſonuium trajeciſſe, ſequi plures alas, vt ergò fines tueretur, & qui adhuc ex Vngaris Cæſari parebant defenderentur, & perduelles retunderentur, euocatum ex caſtris dynaſtam nobiliſſimum

liſſimum & fortiſſimũ, bellóq; clarum, Tãpierium, qui in 1620.
hunc finem à Cæſare ſupremus Vngariæ prætor & limi-
tum cuſtos creatus fuit.

Poſtridie ob inopiam annonæ, progreſſus fieri non 15. Sept.
potuit. Intereà Princeps Buquoyum in caſtris conuenit,
cum illo rurſum, quo pacto bellum eſſet proſequendum,
conſulturus. Sub veſperum aliquid annonæ plauſtris ad-
uectum eſt.

XVI. Cal. Octob. Buquoyus Waidhofen, Princeps 16. Sept.
Rapſium (eſt in inferiori Auſtria) opidum profectus, per
præconem opidi ſimul cum arce deditionẽ petiuit. Sed
Buecheimij toparchæ, quinquaginta ſtipendiariis freti, ſe
quoad poſſent militariter & fortiter defenſuros oſtende-
runt, ſimúlq; vt contemtum præſeferrent, noſtrũ militem
tormentorum fulminibus ab oppugnatione deterrere co-
nati ſũt. Sed cùm Sua Serenitas duas maiores baliſtas in ar-
cẽ direxiſſet, oppugnatíq; aliquamdiu acriter propugna-
rent, deſtinatis potiſſimùm telis in eos qui ad tormẽta cu-
rabant; poſt quartũ in muros fulmẽ impactum, adeò per-
culſi ſunt, vt ſtatim expoſito pacis ſigno, de deditionis con-
ditionibus cum Sua Serenitate agere cœperint. Permiſſũ
vti præſidiarij exarmati arce excederent. Miles victor, pro-
hibitus ne arcem diriperet. Vbi Sereniſſimus pagum eſt
ingreſſus, miles deditus ſub ſignis Suæ Serenitatis merere
voluit. Sed Princeps illis per cohortes diſtributis, alios in
arce, præſidij cauſa, quòd clauſtrum eſſet Morauiæ, collo-
cauit. Arcem in edita rupe ſitam Teia fluuius è Bohemia
in Morauiam deuectus, alluit.

XV. Cale. Octob. Sereniſſimus Princeps & Buquo- 17. Sept.
yus ſeiunctis caſtris alter dextra, alter ſiniſtra Weidhofen

1620. (Ciuitatem Auſtriæ inferioris) vbi præſidium Cæſarianum fuit, quòd vrbs catholico ritu ſacra procuraret, recta via profecti ſunt, vt vrbem aduerſus hoſtem tutarentur, qui ex Morauia Bohemiam petere ferebatur.

Inde poſtera luce noſtris prolixo itinere Gmundium Auſtriæ ſecundæ ciuitatem (cuius arci Buechemij præſunt) progreſſis Cæſarianas legiones, quò minus eodem die eundem locum attingerent, & turbati Ordines & impedimenta & tormenta curribus impoſita retardarunt. Ita

19. Sept. poſtridie Gmundij ſubſiſtendum fuit. Ex Cæſarianis qui ad prædam quærendam excurrerant, ab hoſte intercepti trecenti, pars capti, pars cæſi ſunt.

Id loci Harrachius ab Cæſare miſſus, Imperatoris nomine conſuluit Suam Serenitatem qua ratione crebræ Vngarorum excurſiones in Auſtriam & Stiriam reprimi poſſent.

20. Sept. XII. Cal. Octobr. Gmundio primùm Sereniſſimus Dux mouit, quē ſecutus eſt Buquoyus, qui ad duo millia ferè paſſuum inde Schiembſij caſtra poſuerat. Hîc rurſum Coſaci, ordines turbarunt, qui paſſim excurrentes, ſine diſcrimine hoſtes, & amicos inuaſerunt, ſpoliarunt, & omnia flammis depopulati ſunt. Ventum tamen eo die Gra-

21. Sept. zenum & altero Schvveinizium, quod eſt in Bohemia oppidum & Grazenenſi dynaſtia continetur. Vbi Harrachius legatus Cæſaris, impetrauit legionem vnam à Sua Serenitate, alteram à Buquoyo, in Auſtriam ducendas, ad Gaboris & Vngarorum excurſiones coërcendas. Sed ne copias Sereniſſimus quas integras in Bohemiam ducere ſtatuerat, imminueret, legionem Anholdinam præſidio prouinciæ Anaſſianæ relictam, cum tribus equitum turmis

turmis Viennam deuehi imperauit. Intereà Tſcherninus nunciauit in caſtra, Saxonem VII virum ex Miſnia in Luſatiam mouiſſe & Budiſinum obſidere. 1620.

X. Calend. Octobr. Sereniſſimus Dux Budovvitium ingreſſus cum Buquoyo ſequenti biduo de ratione belli deinceps adminiſtrandi, & quo loco hoſtis inuadendus, quáq; via Bohemus ad Cæſaris obſequium reducendus, poſſet, conſultauit. Intereà aduecta Freiſtadio añona, per militem diuiſa eſt, & ſimul edictum, vt omnes in alterum diem ad profectionem eſſent parati. 22 Sep. 23. & 24.

VII Calend. Octobres ab Saxone curſor in caſtra ad Suam Serenitatem cum literis rediit, quibus expoſitum fuit, Saxonem quidem caſtra ad Budiſinum in Luſatia habere, & Ordinibus prouinciæ, Cæſaris edictum exhibuiſſe, atque ad officium & obedientiam Imperatoris Ordines adhortatum: ſed Marchionem Iagerndorfium cum firmo præſidio vrbem tueri. Ordines verò euentum obſidionis & belli Bohemici velle præſtolari, Bohemos præterea ſuis polliceri, ſe ad ipſos cum magnis mox copiis in prouinciam venturos & Saxonem ab ſocio & fœderato populo vi armíſque expulſuros. Rogare Suam Serenitatem vt ex Auſtria in Bohemiam ad hoſtem diſtinendum, & ab Saxonia auertendum moueat. Reſpondit Princeps Saxoni VII viro ſtatum negotij ſibi ab Cæſare commiſſi in eo eſſe, vt Cæſarianus exercitus & Boiaricus Bohemiam ſimul inuadant, iámque vtrumque in Bohemia verſari, & quotidie vlterius progredi, proinde contenderet & ipſe, quantúmque poſſet, propiùs ſuas copias Bohemiæ admoueret, vti perduelles multis ſimul partibus oppreſſi ad Cæſaris obſequium compellerentur. 25. Sept.

1620 Eodem die Buquoyus Bragadizium, Sereniſſimus Budnam profectus, vrbem ſtatim eodem veſpere per caduceatorem ſibi dedi poſtulauit. Ciues nulla deditionis facta mentione ſtatim plumbeam in exercitum eiaculati procellam, omni ope ſe defendere conati ſunt. Et ſanè eo veſpere & ſequenti die, qui VI. Calend. Octobris fuit, acriter mœnia propugnarunt, & aſſidua baliſtarum grandine oppugnatores verberarunt, & arcuerunt. Sed Princeps ſub noctem intra ædium quarundam exuſtarum muros, qui haud procul vrbe aberant, tormenta maiora collocari præcepit, & mœnia prima luce fortiter quati, ſimúlque ſphæris (quæ ab pomis punicis ſeu Granatis ob interna ignium fomenta nomen acceperunt,) aſſiduè vrbem & portas infeſtari, quæ concepto igni aditum patefacerent. Quòd vbi ciues cum prouinciali milite ſenſere, deſperata defenſione, veniam & pacem orarunt, quam Sereniſsimus Dux pro miti ingenio ſuo facilè dedit; Præſidiarius miles inermis, ſine telo & ſarcina dimiſſus, ciues vita donati, iis duntaxat exemtis qui alios in contumacia firmauerunt, de quibus poſtmodùm ſe dixit cogniturum.

26. Sept.

Eodem tempore de irruptione mille admodùm Vngarorum in Auſtriam cognitum eſt, qui ingenti damno prouinciam afficiebant, aduerſus quos Cæſar ſuppetias petebat.

Bragadiziani tam acriter ſuam vrbem aduerſus Buquoyum defendebant, vt is tormenta bellica ab Sereniſsimo Principe poſtularet, quæ ſtatim ei ſubmiſſa fuerunt.

27. Sept. V. Cal. Sept. Sereniſſimus certior factus eſt Bragadizium

dizium vi & virtute à Buquoyo expugnatum, præſidiariũ militem, vnà cum ciuibus obtruncatos, parſum eſſe nemini, ipſum ex ſuis deſideraſſe LX. cùm apud Budnam quinque tantũ aut ſex ex oppugnatorib⁹ interemti ſint, ciuitas ſeruata, auctores duntaxat perduellionis in neruum dati. 1620.

Sub id tempus ex Belgica allatum eſt Marchionem Spinolam omnia trans Rhenũ in Palatini prouincia, quæ inter Moguntiam, Treuiros & Wormatiam eſt, Oppenheimium nempe, Bacharacium, Caubium, Creizenachium, Altsheimium, occupaſſe. 28. Sept.

IV. Cal. Octobr. Sereniſſimus Princeps Budnæ coactus eſt reſidere, quòd Buquoyus negaret, ſe Bragadizio priùs poſſe diſcedere, quàm Rempub. ibi ordinaſſet. Ita Sua Serenitas (quia inter vtrumq; cõuenerat, vt ſimul ambo exercitus progrederentur, altérq; alteri, vbi vſus eſſet, ſuccurreret, hoſtémq; vterq; acrius premeret) quantũuis inuitus, Budnæ Buquoyum tardiùs mouẽtem expectauit. 28. Sept.

Ex Suæ Serenitatis Prouincia interim per literas adfertur, legiones in Boiaria ad fines tuendos relictas, inde mouere non poſſe, quòd Mansfeldius irruptionem in Boicam minatus eſſet, & verò vicum Schachen irruperit, & tria agreſtium tuguria incendio delerit: Sed infelicem populatorem ita acceptum eſſe ab noſtratibus, vt amiſſis aliquotè ſuis, recipere ſe cogeretur. Quòd niſi nox ingruiſſet tam lautè exceptus fuiſſet, vti deinceps Cęſarianis copijs nullum detrimentum allaturus videretur. Negari non poteſt, quin Mansfeldius ſæpius excurſiones in Boiariam cogitarit, prædámq; ſuis prædonibus & ſtipendiarijs eminùs opimam laudarit, eáque ſpe diu lactarit, ſed cùm fines prouinciæ ad Furtam, Eſchelcamum, & Neukirchen

1620. validopræſidio defenſos experiretur, vbique non ſine clade ſuorum, ſuáque infamia, repulſus, prædas agere ex ipſis amicis & Bohemis, vbicunque ſors aliquid palanti & oberranti offerebat, coactus eſt.

29. Sept. III. Calend. Octobr. ipſis D. Michaëlis feriis Sereniſſimus Dux ſacris priùs peractis Budnâ, Buquoyus Bragadizio, alter, more iam quiſque ſuo, dextrâ, alter ſiniſtrâ profectus, Piskam vrbem regiam petierunt, cui miſſo præcone Sua Serenitas ſi ſe Cæſari dederet, pacem, ſi alia omnia, oppugnationem denunciauit. Ciues ſe firmo præſidio militum inexpugnabiles rati, negarunt eundem eſſe rationem Budnæ & Piskæ, ſe frequenti milite & munimentis tutos nullum hoſtem formidare. Ita Princeps caſtra, qua parte Moldauia amnis præterlabitur; Buquoyus è regione commodiſſimo loco poſuit, eódemque veſpere ſtatim baliſtæ æneæ in mœnia directa, & omnia ad oppugnationem prima luce tentandam deſtinata. Bætinæ intereà vbi Sua Serenitas pernoctabat, per literas cognoſcit de Balthaſare de Marrhadas, (cui in mãdatis dederat, vt cũ equitatu ſuo legionibus, quæ antéhac fines Boiariæ tutatæ ſunt, in Bohemiam proficiſcentibus præſidij cauſa occurreret) quòd ex itinere, ſingulari ſtratagemate vrbem Schittenhofen occuparit. Plauſtra quibus equitum impedimenta vehebantur, haud procul ab vrbe ita compoſuit, ac ſi vehicula eſſent, quibus tormenta curulia portarentur. Tum quacunque cum equitatu inceſſit, paſſim ſparſit magnum Boiorum Principem & Buquoyum Cæſaris legatum, cum toto exercitu ſequi, quo terrore ciuitas exanimata, fidei Cæſaris ſe permiſit, ac Balthaſari ſe dedidit. Ex eiuſdem Sereniſſimi Imperio idem Voliam & Per-

& Pergreichſtain recepit, indéque per curſorem venientibus cohortibus Boiaricis ſignificauit, ſe illis ſuppetiatum venire.

Pridie Calend. Octobres, ſeptem baliſtis maioribus mœnia Piskæ verberari cœpta, tantum terrorem ciuibus iniecerunt, vt ſecunda hora pomeridiana tantiſper inducias peterent, dum de pace & deditionis conditionibus ageretur. Cúmque Sereniſſimus inducias non abnueret, vt agi de pace poſſet: interim tamen factum eſt vt Cæſarianus miles iniuſſu tribunorum ſuorum, ſuperatis mœnibus, vrbem inuaderet, tantáque rabie in ciues deſæuiret, vt ſine vel ſexus vel ætatis diſcrimine omnes obtruncaret. Ex quingentis præſidiariis euaſit nemo. Et quamuis Sua Serenitas furentem cohibere militem niteretur, & Buquoyus ſtricto ferro in medias cohortes minitabundus rueret, neuter tamen rapinas, direptiones & cædem reprimere potuit.

OCTOBER 1620.

CAlendis Octobribus vocatis in conſilium omnibus tribunis & præfectis, conſenſu decretum eſt, rectà Pilſenam ſecundam regni ſedem properandum. Nec diu moratus Princeps, è veſtigio mouit, & eodem veſperi ad Straconizium caſtra poſuit. Buquoyus trans amnem paulatim ſequi cœpit. Quo tempore cognitum eſt ab Tieffenbachio, quem Buquoyus cum aliquot cohortibus Winterbergum miſerat, locum illum deditum, in fidem acceptum & præſidio firmatum. Propugnaculum etiam Wallerianum ab Mansfeldio ante paucos menſes occupatum, 1. Octo.

1620. ab præſidio Bohemico deſertum: Quo factum eſt vt fines prouinciæ Boiaricæ Paſſauij & Auſtriæ ab tergo circumquaque extra periculum ab hoſte ponerentur.

2. Octo. Poſtridie rurſum Cæſarianus miles, qui tardiùs iter, more ſuo, moliebatur, expectandus fuit.

3. Octo. V. Nonas, decem millia paſſuum Pilſenam versùs confecta ſunt, & vicus Horoſchovviziũ, Riſenbergij perduellis qui Palatino à cubiculo erat, nullo reſiſtente occupatus.

4. Octo. IV. Nonas D. Franciſci feriis, quæ in Dominicum inciderunt, poſt rem diuinam, Princeps Grunbergam opidum in præfectura Pilſenenſi, & arcem ex edito monte opido imminentem, petere inſtitit, Haslango, qui in primo agmine curabat, præmiſſo. Hic ſimul ac ſub arcem ſucceſſit per præconem denunciari iuſſit Palatini præſidiariis, vti intra horam Sereniſſimo Boiorum Duci ſe dederent, aut oppugnationem expectarent, nec plus temporis ad deliberationem indulſit. Sed cùm interim ab ſiniſtro arcis latere cohortem peditum ad arcem accedere ſenſim animaduerteret, haud falsò (quod ex literis poſteà hoſtium deprehendit) ſuſpicatus, miſſas ab hoſte præſidiariis ſuppetias, ſtatim in aduentantes impetum fecit, & quadraginta cæſis, reliquos ſexaginta Anglos & Scotos cum centurione ſuo cepit, plauſtrúmque puluere ſulphureo & glandibus onuſtum intercepit. Quòd ſi Haslangus dimidia duntaxat hora ſeriùs aduenisset, illi in arcem ſecuri penetraſſent & propè inexpugnabilem reddidiſſent, adeò vel momenta temporis in bello non ſunt negligenda. Præſidiarij XVIII. nec enim plures erant in arce, vbi ſubſidij ſpes, captis vel cæſis qui auxili-

atum veniebant, decollauit, ad præſcriptam horam vltrò dediti, in caſtra etiam Sereniſſimi aduerſus Bohemum militaturi tranſierunt. 1620.

Sub noctem Buquoyus per internuncium Suæ Serenitati ſignificauit, hoſtem cum omnibus copiis adeſſe, nec niſi duobus aut tribus millibus paſſuum ab ſuis caſtris caſtra poſuiſſe. Aberat tum Seriniſsimus ab Cæſarianis ad quinque millia paſſuum, vt vix intra tres aut quatuor horas exercitus coniungi poſſent. Buquoyus petebat, vti Sereniſsimus ſuas legiones cum Cæſarianis coniungeret, quod tum fieri non poterat, cùm duo millia equitum per denſam nebulam ab via aberraſſent, & nondum in caſtra veniſſent, & duæ legiones, reliquas copias propter itineris longitudinem, aſſequi non poſſent, reliquíſque cohortibus ex itinere feſsis & fractis, interquieſcendum eſſet.

Poſtridie equitatus omnis cum legionibus in caſtra Principis venit, quibus etiam ille dies ad vires colligendas datus. 5. Octo.

Pridie Nonas Sereniſsimus ſupremum legatum ſuum & belli vicarium Tillium, cum duobus millibus & quingentis equitibus ex omnibus delectis ad Buquoyum ſubſidij cauſa prima luce miſit. Nam Princeps Chriſtianus Anhaltinus, Palatini legatus & copiarum ductor, ſimul ac vidit Buquoyum caſtra mouere, vltimum agmen, quod ex Coſacis ferè conſtabat, aggreſſus, carpere cœpit, & quamuis totis caſtris Cæſarianos ſecutus velitari nunquam deſierit, nihil tamen profecit, quòd extremum agmen accerrimè hoſti reſtiterit, quoad 6. Octo.

Buquoyus

1620. Buquoyus locum deſtinatum, paucis ex ſuis deſideratis, nec paucis ex hoſtibus cæſis, incolumis attingeret. Ita eodem die Boiaricus exercitus Plovvizium, Cæſarianus duobus inde millibus Poſovvizium, quamuis ſub noctem primûm, in caſtra venit.

Poſchovviz.

7.8. Oct. Sequenti biduo, Cæſariani & Boiarici in ſuis ſinguli caſtris conquieuerunt, tum vt miles ex itineris moleſtiis recrearetur, tum quòd annona, cuius iam aliquot dies, magna in caſtris inopia erat, expectaretur. Inter hæc renunciatum eſt à Balthaſare de Marrhadas inclito belli duce, ad legiones è Boiaricis finibus ſex millia Sexcentos pedites, mille ſeptingentos equites deducendos, cum firmo equitum præſidio, miſſo, ex occaſione arcem Riſenburgenſem haud procul Tauſſio nõ parum munitam, & Hollandico præſidio inſeſſam, arte captam. Per noctem ad arcem acceſſit, & nonnullis ex equitibus iuſſis deſcendere, fomenta ignium, funes incenſos & gliſcentes in manus quaſi fiſtulis æneis applicandos tradidit, interímque militaria tympana cum ingẽti ſtrepitu pulſari imperauit, perinde quaſi aliquot legiones ſequerentur. Quòd cùm ex arce præſidiarij procul contemplarentur, ingentem ſclopetariorum numerum adeſſe arbitrati ſunt. Et cùm Marrhadas ad ipſam arcis portam ſuccederet, & atrociter omnibus minaretur, quòd niſi ſtatim ſe Sereniſſimo Principi Boiorum dederent, fore, vt ad exemplum Piskę tractarentur, nec vlli mortalium parceretur. Perculſi, Marrhadam cum nonnullis in arcem admiſerunt, qui ſtatim illis vexillum extorſit. Præſidiariis permiſit, vt vel ad ſuos redirent, vel in Cæſarianis caſtris ſtipendia facerent. Tria curulia tormenta in arce ad cuſtodiam loci relicta ſunt.

Inter

Inter hæc etiam Boiaricum agmen, quod fines Boicæ antéhac tuebatur, in Bohemiam penetrauit, & vrbē Tauſſium obſidione cinxit. Erant in præſidio ciuitatis quatuor peditum Bohemorum cohortes, & duæ equitum turmæ. Ciues etſi primùm vrbem propugnarent, Septimo tamen Idus Octobres Princeps ex literis deditionem factam cognouit. Septem maiora in vrbe tormenta reperta ſunt. Quòd niſi ciues ſe Sereniſſimo permiſiſſent, iam quatuor ingentes baliſtas eòdem deſtinarat, vt vi expugnarentur. Neque conſultum videbatur vt vel ipſe Princeps vel Buquoyus caſtra priùs moueret, quàm intelligeret, qui Tauſſij vrbis & Boiarici exercitus ſtatus eſſet. Tauſſio recepto Princeps copiarum ductoribus præcepit, vt cum vna legione & aliquot equitum àlis Glattouium properarent, vrbem perinde ac alias, vel deditione in fidē acciperent, vel armis ad obſequium cogerent. Ob eam cauſam poſt biduum demum, re diuina perpetrata, quòd Dominicus eſſet, vlterius exercitus Cæſarianus & Boiaricus motis caſtris haud procul Pilſena conſtiterunt. Sereniſſimus Stenovvizij, Buquoyus in circumiacente vicinia ſub noctem caſtra metatus eſt. 1620. 9. Octo. 10. & 11. Octob.

Intempeſta nocte Vngarorum aliquot millia, pagum Loſinum, in quo equitum Belgicorum ſigna quinque, Ervvitto duce tribuni legato, conſederant, repente oppreſſerunt, & quia vicus à Stenovvizio duo ferè millia paſſuum aberat, vt tam citò ſuccurri laborantibus non poſſet, quinque & viginti equitum obtruncati, è lixis & calonibus quinquaginta, ſummùm ſexaginta. Pagus cum ingenti ſtrepitu & clamore incenſus. Quòd vbi Sereniſſimus Princeps Stenovvizij accepit, è veſtigio equū inſiliit,

1620. militémq; ad ſigna & arma vocauit: Caſtra carris & curribus circumdedit, aciem diſpoſuit, miſſis qui explorarent, an progredi conarentur.

Sed fugaciſſima gens Vngarorum tanta cum trepidatione & celeritate refugit, atq; in ſiluas vicinas ſe abdidit, ac ſi hoſtis iam illorum tergo hæreret: Ab noſtro certè equitatu fugientes inſecuto nec vnus quidem potuit deprehendi.

11. Octo. IV. Idus quinquaginta Britanni Stenovvizium in caſtra ad Sereniſſimum Principem pertracti ſunt. Poſtri-
13. Octo. die Dux Boiorum cum prætorianis propiùs Pilſenam Lidizium, duo millia paſſuum vltra Stenovvizium, vbi iam antè aliquot è Boiaricis cohortes conſederant, acceſſit. Eodem die idem Sereniſſimus accepit Bethlemium Gaborem cum ſex millibus Pannonum arcem Laggenbachianam Eſterhaſij toparchæ circumſediſſe. Sed Eſterhaſio Tampierius Comes cum nouem ſignis equitum ſeptingentorum ſuppeditatum venit, arcem penetrauit, Vngarorum mille ducentos trucidauit, cùm ille non niſi triginta deſiderarit.

14. Octo. Pridie Idus relatum eſt Glattouium, ab illis tribus millibus peditum, de quibus ſupra memoratum eſt, cum
1. aliquot equitum alis, æquis conditionibus, receptum; pri-
mùm, vt conductus à Bohemis miles ſigno explicato
cum ſarcinis, incenſis funalibus, armis & impedimentis
2. ſuis liberè, quò liberet, abiret. Deinde vt regni incolæ
3. & populares ſolo gladio accincti vrbe cederent. Ciues
vt Cæſari ſacramentum interim dicerent, dum reliqua
4. componerentur. Nobilitas vt familia vel in vrbe ſi pla-

ceret,

ceret, moraretur, vel quò liberet diſcederet, dummodò 1620.
in Cæſarem non arma ferret. De reliquis vt Cæſar pro ar- 5.
bitratu, ſuo loco ſtatueret.

Triduo ſequenti in caſtris legio Glattouiana cum equi- 15. 16.
tatu expectata eſt, quòd non videretur è republ. cum re- 17. Octo.
liquis copiis progredi, legione & turmis equitum paucis, quæ expectabantur, auxilio deſtitutis, & cum exercitu nondum cõiunctis, cùm hoſtis plena caſtra in quibus ipſe Palatinus verſabatur, ad Rokizanum vrbem decem duntaxat millibus paſſuum ab Sereniſſimi Principis Maximimiliani caſtris, haberet.

XVI. Cal. Nouembres, poſt legionis & equitum in caſtra aduentum ſtatim omnia ad profectionem compoſita, & vt exercitus hoſtem expeditiùs inſequeretur, ægri omnes cum lixis, calonibus, & impedimentis, in fines Boiariæ & Auſtriæ remiſſi.

Eodem die Haslangus legionis ductor & ſupremus vi- 17. Octo.
gilum præfectus, qui ab ægritudine ſuperiorum dierum, quibus febri laborabat, in patrium ſolum dimiſſus, cùm vix decem millia paſſuum ab caſtris receſsiſſet, repentè ex inſidiis opacæ ſiluæ vbi delituerant equites Vngari proſiluere, & tectæ lecticæ, qua æger vehebatur (comitatu ipſius exiguo mox vel cæſo vel fugato) circumfuſi, ægrum è ſede, magno cum tumultu protrahunt, deueſtiunt, ægrúmque & anhelantem ſtrigoſo iumento vinctum imponunt, ablatáque ingenti præda ſecum properè in caſtra trahunt. Quod vbi Princeps cognouit, ex- 18. Octo.
templò ad Palatinum miſit & Haslangum ea lege repetiit, vt ægrum quoad curaretur, dimitteret, quòd magnoperè vereretur, ne caſus ille ægrè ſpirantẽ, ſi accederet cuſtodia,

 breui

1620. breui è vita exturbaret; reſtitutum ſibi, ſe Palatino optima fide remiſſurum. Sed Palatinus negauit Haslangum ab ſuo milite captum. In Vngarorum poteſtate & caſtris apud belli Ducem Bornemiſſam detineri: proinde non poſſe ſe id quidem temporis Serenitati Suæ remittendo Haslango gratificari. Ita Haslangus Rachonizij in cuſtodia apud Vngaros ſeruatus eſt, quoad III. Nonas Nouemb. animam exhalauit.

Miſit ſub idem tempus Palatinus præconem ad Sereniſſimum Principem, qui commeatum publicum petiit, pro nobili ſuo adminiſtro, quem vellet ipſe ad Suam Serenitatem cum duobus equitibus allegare; q; Sereniſſimus Princeps libens voléaſque conceſſit, miſítque ſimul ad Buquoyum, vt & ipſe ex ſuis caſtris comitem præconi adderet, quo tutò, præco & legatus per caſtra vltrò citróque commeare poſſent. Ita tres tubicines profecti legatum Palatini ad Ser.mum Principem deduxerunt & reduxerunt.

Eodem die curſor ad Saxonem VIIvirum Imperij Bauzen. miſſus, retulit in caſtra, Budiſinum in Luſatia; vrbem à duobus millibus præſidiariorum propugnatam III. Nonas Octobres ab VIIviro occupatam. Militem præſidiarium cum ſuis centurionibus & tribunis ſine plauſu tympani, ſine funalibus incenſis, vexillo complicato & inuoluto dimiſſum, præter duos tribunos, quorum alter Grünthalium Iagerndorfio captiuum miſerat; quos tam diu in vinculis habuit, quoad Grünthalius dimitteretur: Recepto Budiſino magnam nobilitatis partem cum vrbe Camentia & pagis non paucis VII. viro deditam.

Intereà Sereniſſimus Princeps Buquoyum per legatum ſuum Illuſtriſſimum Tillium, admonuit, vt in ſequentem

quentem diem ad mouenda caſtra paratus eſſet, confli- 1620.
gendum eſſe cum hoſte, dum præſentem ſors offerret. Sed
Büquoyus cauſatus ſuos pabulatum profectos, ante bi-
duum non expectari.

XIII. Calend. Nouembres à Palatino venit Baltha- 20. Octo.
ſar Iacobus Schlammersdorfius prolegatus ſupremus i-
démque Aurbacenſis prætor, cuius hæc fuerunt poſtula-
ta. Etſi ſupremum cæli numen permiſerit, vti Palatinus,
tanto infortunio præſenti hoc anno mactaretur; dum
proxima ipſi ſanguinis neceſſitudine coniunctos, quos ip-
ſe ad ſummos honorum gradus ſuo periculo & damno
tantopere prouehere conatus eſſet, iam inimicos & pub-
licos hoſtes in ſuo regno & prouinciis intueri cogatur, non
potuiſſe tamen facere; quin pro ſuo conſueto amore &
propinquitatis iure, per legatum Suam Serenitatem con-
ueniret, déque eius ſtatu inquireret, & viciſſim de ſuo ſu-
íſque rebus certiorem faceret. Rem ergo in eo verſari.
Cognouiſſe Palatinum ex Haslango capto Serenitati Suæ
non fore ingratum, ſi Principes ipſi coràm in colloquium
venirent; & de perniciosiſſimo hoc bello dirimendo &
ponendo conſilium in medium conferrent, ac optima
germanáque fide inter ſe agerent: an commoda aliqua via
reipub. medendæ inueniri poſſet. Quòd ſi ita Serenitati
Suæ viſum eſſet, ſe ſcire ſuum Principem Palatinum à col-
loquio minimè abhorrere, quando ex hoc Principum a-
mico & familiari congreſſu ſperandum ſit, omnia in meli-
orem ſtatum reduci, Rempub. Chriſtianam ex præſenti
calamitate & vltimi exitij periculo eripi poſſe. Cupere er-
go Palatinum intelligere quid ſuper ea re Sereniſſimo
Principi videatur, & ſi colloquium inſtituendum ſit, quo

1620. die, vbi, & quo loco, quibus conditionibus id fieri poſſit: an ſingillatim de ratione & conditione conuentus tractandum ſit. Et poſtremò cùm ex edicto Cæſaris & officio Suæ Serenitati ab Cæſare comiſſo ſibi & Bohemiæ Ordinibus, ſociiſque prouincijs ſit denunciatum, fore, vt qui ad partes Cæſarianas, vltrò & ſponte accederent, venia concesſa, in fidem & tutelam reciperentur, alij verò in hoſtium numero haberentur, & iure belli vt perduelles punirentur, adiecta verò in tabulis verba, parentheſi incluſa (*aliam rationem eſſe ipſius Palatini, quòd ad ipſius duntaxat corpus & perſonam attineret*) valde cupere Palatinũ, quis illorum verborum interiectorũ ſenſus ſit, cognoſcere, aut quid ipſe Sereniſſimus ijs verbis voluerit ſignificare.

Ad hæc Sereniſſimus Princeps in hanc ſententiam reſpondit, *Non poſſe Palatinum non meminiſſe quàm aperta fide ſinceróque animo & ipſe Sereniſſimus Princeps erga ſuam Celſitudinem ſemper affectus fuerit, & quamdiu etiam ante imminentem his regnis, prouincijs, & Imperio Germanico, tempeſtatem, tãquàm è ſpecula proſpexerit, & ipſum etiam Palatinum ob cognati ſanguinis propinquitatem fideliter, nec ſemel ſed ſæpius, de impendentibus ipſi periculis admonuerit. Nec quicquam nunc etiam magis optare, quàm vt fida ſinceráque monita illo loco non fuiſſent neglecta & reiecta. Suam porrò Serenitatem nullo odio aut malo affectu erga regnum hoc & prouincias fuiſſe inductam, vt Palatino, Bohemis, & fœderatis, ſociiſque prouincijs, bellum faceret. Sed eas duntaxat ob cauſas quæ in Septemuirûm & Principum conuentu Milhuſiano, menſe Martio, hoc ipſo anno celebrato palàm propoſitæ fuere & euulgatæ permotam, reipublicæ curam communi omnium voluntate ex Cæſaris imperio ſuſcepiſſe. Quòd ad vtriuſque Principis colloquium incoràm attineret, nihil magis ſuæ Serenitati eſſe in votis, quàm*

tũs, quàm vt id ad Pub, Rei ſalutem, & S.C. Maieſtatis ius & dignitatem tuendam, atque ipſius etiam Palatini, prouinciarũmq; commodum, & augmentum inſtituatur. Sed cùm Sereniſſimus Princeps, Cæſaris, cuius cauſa, res, & negotium hoc bello potiſſimùm agatur, mentem & animum probè perſpectum habeat, & Cæſar nullam pacis aut compoſitionis mentionem inter partes fieri patiatur, priúſquam ipſi, velut lege & ordine lecto, coronato, & vncto regi, regno ſuo, & omnibus prouincijs adiunctis cedatur, Suáq; Cæſ. Maieſtas in tuta regni ſecuráq; poſſeſſione collocetur: adiunctam proinde hanc ab Imperatore conditionem, vt legẽ præſcriptam, neceſſariò exigere, vti priùs ſuper hac re quid velit quidue nolit Palatinus Sereniſſimo aperiat, vt in congreſſum colloquiũmq; ambo non fruſtrà veniant. Parentheſis intellectum nullum alium eſſe, quàm quem verba ipſa demonſtrent, cùm in tabulis Cæſaris ad ipſum & ordines miſſis doceatur, eos qui ad Cæſaris auctoritatem acceſſuri ſint, veniam impetraturos, alios vi armiſq; ad officium cogẽdos; cùm igitur de ipſius Palatini perſona in Cæſaris edicto mentio ſingularis non fiat, nec ſibi in ſuis literis aliquid addendum fuiſſe, quod in perſcripta Cæſaris auctoritate non legeretur, ſed præcisè verbis Cæſaris inhærendum. 1620.

XII. Cal. Nouembris Sereniſſimus Princeps tempus bello opportuniſſimum terere, & eodem loco ſanè perquàm inuitus hærere coactus eſt, quòd Buquoyus ad profectionem, ob ſuorum pabulationem, negaret ſe paratum. 21. Oct.

Poſtridie relicta ad dextrã Pilſena, ambo exercitus, ſiniſtrà Zizimirium verſùs, & inde Tuſcovvizium arcẽ (vbi ſua Ser.^tas caſtra poſuit) progreſſi ſunt. Croatę qui in primo agmine verſabãtur, procurrendo quoſdã ex Britannis & Batauis, qui arcis ſpoliandę cauſa venerant, inuaſerũt, & centum quinquaginta partim conciderunt, partim ceperunt. 22. Octo.

X. Cal. Nou. Ser.^mus Princeps copias pedeſtres Welam 23. Oct.

ſeu Bielam verſus, mox ipſe ſecuturus, præmiſit. Sed Buquoyus ad Suam Serenitatem internuncium miſit, qui rogaret vti tantiſper in caſtris moraretur, dum videret quò hoſtis tenderet, qui haud procul ab ſuis ſeſe oſtenderet. Sereniſſimus ergo quamprimùm ipſe cum mille quingentis equitum ad Buquoyum profectus, Tillio legato præcepit, vt cum reliquis cohortibus ſubſiſteret, in eum finem vt ſi vſus exigeret, in promtu eſſet, quocunque properare iuberetur. Sereniſſimus interim cùm proximè caſtris Buquoij abeſſet, miſit qui illum de ſuo aduentu doceret, & quæreret an auxilio porrò indigeret. Miratus Buquoyus Suæ Serenitatis celeritatem, & gratias egit, & hoſtem ab ſe receſſiſſe affirmauit. Sereniſſimus rectà quà venerat eodem veſpere ad ſuos rediit.

1620.

Eodem die ante meridiem Boiaricæ cohortes, triginta pedites, & ſex equites interceperunt, quos cùm Sua Serenitas è Mansfeldij prætoriana cohorte & corporis cuſtodia eſſe cognouiſſet, ſine lytro dimitti iuſſit. Inter hæc rumor in caſtris validus inſonuit, hoſtem Pilſenam versùs contendere, vt commeatum è Boiaria cum ingenti copia pulueris nitrati, glandibus, pilis, & alio inſtrumento bellico, magnáque vi pecuniæ aduenientem, intercipiat, præſidium aggrediatur & trucidet: ad quod detrimentum cauendum ſumma nocte Sereniſſimus geminos curſores ad Lindeloium cum mandatis expediuit, vti Lindeloius cum præſidio Boiarico, quo annonam tutabatur, nó progrederetur, quoad conſilia hoſtium explorarentur, cauerétque ſingillatim vt hoſtis, ſi propiùs Boicam accederet, arceretur, & Vngarorum quoque excurſiones reprimeret. Nuncij Lindeloium in medio campo, proximè Plaſſium vſq;

um, offenderunt, qui cum ſuis Tauſſium vſque regreſſus, 1620.
Sereniſſimi mandata ad vnguem exequi cœpit.

Proximo inde biduo caſtra Boiarica Kralovvizij con- 25. & 26.
quieuerunt. VI. Calend. Nouembris Sereniſsimus cum Octob.
mille ducentis equitum, Senomatum, quod mille nō am- 27. Octo.
plius paſsibus Rakonizio abeſt, profectus, ſub tertiam pomeridianam animaduertit, hoſtem cum omnibus copiis ex altero ciuitatis Rakonizij latere è ſilua prodire, è quibus aliquot equitum alæ eminentiorem locum petebant, vnde noſtratibus Pragę paullatim imminentibus iter pręcluderent. Quos vt Sereniſsimus anteuerteret, miſsis aliquot equitum turmis, quas ipſe ſequebatur, collem hoſtibus quæſitum prior occupauit, in quo Sua Serenitas Tillium legatum ſuum cum legionibus ſuccedentem expectauit. Hic dum quiſque ſuas quærit locorum opportunitates, primùm leuis inter hoſtem & noſtrates velitatio fuit, ſed cùm maior ſubinde equitum numerus ab hoſte ſubmitteretur, ita à Boiarico equitatu excepti ſunt, vt ad fugæ modum recurrendo, ſeſe ad ciuitatem receperint. Cæſarianus miles eo die primùm ſub noctem ſubſecutus, duobus paſſuum millibus ab noſtris caſtris conſedit. Sereniſſimus in collis verruca, quam occupauerat, duas maiores baliſtas cum præſidio peditum collocauit.

Quinto Calend. Nouembris, vbi abſterſâ per ſolem 28. Octo.
nebulâ reluxit, rurſus leuibus præliis certatum, è quibus ſemper victus hoſtis diſceſſit. Illud eo die memorabile fuit, ducentos quinquaginta hoſtium equites, ab non niſi decem & octo equitibus Boiaricis, ſpectantibus ſummis belli Ducibus, Principe Boiorum Maximiliano, Buquoyo Cæſaris legato, & aliis nonnullis Principibus, qui & ipſi in

1620. velitatione verſabantur, fuſos & ad ciuitatem vſque fuiſſe reiectos.

29. Octo. Poſtridie tam denſa nebula totis caſtris offuſa eſt, vt ab vtraque parte fuerit conquieſcendum, præterq̃ quod hinc inde caſtris muniendis, vterq; miles operam daret.

30. Oct. III. Demum Cal. Nouembr. Sereniſſimus Princeps cum Buquoyo equo in eminentem locum, omnem inde hoſtium exercitum contemplaturus, euaſit. Hoſtis ſigno per tormentum dato, copias pro caſtris in aciem digeſſit. Miſsi ex ſclopetariis noſtris ſpeculandi cauſa per ſiluam in hoſtem inciderunt, vbi non leue certamen exortum, turmis equitum & peditum vtrinque ſuis auxiliatum ſubmiſſis, vti demum totis caſtris concurreretur. Equitatu hinc, pedeſtres inde copiæ inter ſe velitatæ. In hoc conflictu hoſtis & ſilua & colle quē ponè ſiluam tenuerat, cum ingenti ſuo detrimento pulſus eſt. Signum auro contextum equites hoſti, quod prætorianum Principis Chriſtiani Anhaltini belli ducis, ferebant, extorſerunt. Signiferum Crazius ex noſtris tribunis equitũ præfectus vno ſclopeti ictu vnà cum equo interfecit, vt ambo ſimul equus & eques mortui repentè conciderint. Theodorus prætereà Dona qui prolegatum agebat in equitatu comitis ab Hollach ſecundum collum tam graue vulnus accepit, vti poſtridiè deceſſerit : quod & ſignifero eiuſdem biduo poſt vſu venit. Eadem die glandes & pilæ punicæ, magno numero è caſtris noſtris effuſæ, quibus ab aduerſa parte reſponſum, ſed noſtræ fulminis ritu graſſatę, ingentē in hoſte tam equite quàm pedite ſtragem edidere; ita vt multo plures ex hoſtibus quàm noſtratibus ceciderint, nam vt captiui poſtridie prodiderunt, centenos aliquot ex ſuis deſideratos,

toſ, aut vulneratos, fuerunt etiam aliqui capti, inter quos ex Auſtriacis proceribus familiâ Teuffelius, quos Latini Diabolos dicerent, recenſus. Ex noſtris præter vnũ Aquauiuam Neapolitanæ legionis tribunũ, ex nobilioribus deſideratus nemo, niſi quòd aliquot qui in officijs & imperiis erant, & non nulli ex militibus vulnerati ſint. Et durauit hoc certamen in noctem vſque. Cęſarianæ copiæ, poſt duas demum à certamine horas ſubſecutæ, in caſtra venerunt, ſeriùs certè quam oportuit. nam ſi in tempore adfuiſſent, hoſtis aut omninò deletus fuiſſet, aut certè inſigni clade mactatus, victrix enim plerumq; diſcedit è bello celeritas. Sub noctẽ cum hoſtis in valle paluſtri locum quẽdam firmum & opportunũ occupare per cohortes decem ſeu tria millia peditum conaretur, ab Cęſarianis nõ ſine damno inde repulſus eſt. Sed & illa velitatio in ſeram noctem durauit. Eadem nocte Boiaricus exercitus proximè hoſtẽ caſtra egregiè cõmuniuit. Et Buquoyus ab ſiniſtro latere eadem nocte è ſilua propiùs ad caſtra hoſtium cum omnibus ſuis copiis acceſſit, adeòq; caſtra firmauit, vt quamuis hoſtis aſsidua in illũ fulmina tormentorum detorqueret, parũ tamen aut nihil damni inferret, quod in depreſsiore loco conſediſſet, vbi à maioribus baliſtis lædi non poterat. 1620.

Pridie Calend. Nouembres vtrinque acerrimè res tormentis maioribus acta eſt, & vtrinque nonnulli glandibus icti & lacerati. Inter quos Marcus Phillippus Fuggerus Philippi F. Marci Duumuiri Auguſtani N. eo die baliſta ictus vtroque poplite conuulſo concidit, & inſequente nocte expirauit. Sed hoſtis nec ad leue prælium amplius (niſi quod cohortes quædam pedeſtres inter ſe velitatæ ſint) nec ad iuſtam pugnam vlla ratione 31. Oct.

 potuit

1620. potuit elici, ſed intra nidum ſuum loco peropportuno reſidens, tutò delitеſcebat. Hoc cùm Sereniſſimus Princeps animaduerteret, & ſitum loci, hoſti commodiſſimum conſideraret, cum vtriuſque exercitus Cæſariani & ſui ducibus, legatis, ac tribunis, in conſilium coactis, deliberauit, vtrùm & qua via hoſti quoquo modo noceri poſſet. Certatim ab omnibus in ſententiam itum eſt, hoſti eo loco per ſe natura munito & arte prætereà, vallóque, & caſtris firmiſſimis circumſepto & defenſo, niſi per longam moram & magna militis & temporis iactura, nihil aut parum detrimenti adferri poſſe. Et ſi quid etiam adferretur, tamen id parum ad ſummam rerum & bellum conficiendum facturum, cùm hoſtis etiam loco pulſus per ſiluas & auia quocunque velit, poſſit euadere, & caſtra rurſùm tutiore in regione collocare, qua ratione vterque Cæſarianus & Boiaricus exercitus non ſolùm nihil inde commodi accepturus ſit, ſed bellandi tempus etiam amiſſurus, impenſas ingentes fruſtrà facturus, militémque aſſidua velitatione per hyemē diminuturus. Itaque, viſum eſt, quòd hyems iam immineret, & nil niſi graue cælum & ſæuæ tempeſtates expectandæ eſſent, quibus machinæ bellicæ cum tormentis ægrè transferri poſſent, & quod potiſſimùm omnes ſolicitos habebat, annonæ & rerum aliarum ad tormenta pertinentium, conuehendarum, & longiſſimo itinere ex Boiaria cum igenti, & propè intolerabili ſumptu petendarum difficultas, quæ quò magis copiæ progrederentur & à Boiaria diſcederetur, hoc difficiliùs compararentur, & periculùm eſſet, ne tandem omnino commeatu deſtituerentur, omnibus ergo, vt dixi, viſum eſt, non diutius eò loci hærendum, ſed videndum vtrùm alibi res ita

publica

publica geri poſſit, vt hoſtis noſtratium caſtra ſequi coactus, alicubi opportuno nobis loco deprehendi, & ad confligendum impelli poſſit. Sed cùm ex Boiaria commeatus cum pecunia quotidie expectetur, & annona in caſtris defecerit, tantiſper ibidem manendum, dum victus adferatur, ne miles progrediendo etiam panem deſideret. Intereà occaſionem locúmque vndecunque captandum, vt hoſti quacumque arte aliquid cladis inferatur. 1620.

NOVEMBER.

CAlendis ergo ipſis caſtra Boiarica ab dextro, ſacellum cæmentitio munitum cæmiterio, ab hoſte inſeſſum, ſibi expugnandum ſumpſerunt. Erant intra murum centum ſclopetarij totidémq; foris, qui militem noſtrum aquatione prohibebant. Itaque delecti ex omnibus legionibus & nationum forte cohortibus per depreſſam viam ad ædiculam ſacram contenderunt, & cum præſidio hoſtium intra muros acriter reſiſtente aliquandiu velitati, poſtremò indignatione accenſi cum ingenti furore in murum incurrerunt, templo occupato & quotquot intus erant, (paucis admodum fuga elapſis) ferro conciderunt, hoſte interim magno numero quà equitum, quà peditum intra vrbem & ſacellum ſe oſtendente, qui ſuis, etſi è propinquo ſtaret, ſuccurrere non eſt auſus, quamuis ipſo inſpectante obtruncarentur, templúmque expugnaretur, quòd noſtras acies ad prælium paratas reformidarent. Eo die cognitum eſt dynaſtæ Hohenlochij Præfectum aulæ Hermannum Biſerotum tormento ictum periiſſe. 2. Noue.

I.V. Nonas cum denſâ nebulâ tota caſtra ad pri-

1620. mam vſque pomeridianam tegerentur, ante meridiem quieſcendum fuit. Abſterſa nebula, Ser.^mus Princeps è prętorio ſuo ad ſtationes progreſſus, equiti & pediti imperauit, vt ad pugnam, quamprimū euocarētur, eſſent intenti. Statuerat enim Buquoyus (ſi ita Sereniſſimo videretur) ſtationem Vngarorum ſuis caſtris obuerſam opprimere. Probante conſilium Maximiliano Duce, tentata quidē res eſt, ſed optato ſucceſſu caruit, quod penetrare Buquoyus ad hoſtem per obſeptos aditus cum deſignatis tam citò nō poſſet. Principis interim legiones in omnem euentū & occaſionē intentæ expectabant, dum hoſtis alicubi ſe cōmoueret, aut alia rei bene gerendæ opportunitas offerretur.

Sed cum Buquoyo res ex animi ſententia (vti dictum eſt) non ſucceſſiſſet, & hoſtis cohortes aliquot & alas equitum, vt templum pridiè amiſſum reciperet, miſiſſet, & muralibus baliſtis ex propugnaculis ſuis ſacellum verberaret, vt Boicum inde præſidium pelleret, Sereniſſimus Princeps partem exercitus iam ante ad pugnam inſtructam, templum versùs procedere iuſſit, & hoſtem, ſi è ſuis ſtationibus aduersùs templum progrederetur, aggredi, priuſquam ad ſacellum perueniret: ſed quamuis noſtra acies in depreſſioribus locis velut in inſidiis collocata hoſtem, donec in manus veniret, operiretur, ille tamen ex edito colle per cuſtodias & ſpeculatores admonitus, conſtitit, nec è munitionibus ob loci opportunitatē elici potuit, multò minus templum oppugnare auſus, ſed caſtra potius, in quibus reſidebat, vallis & propugnaculis nouis communiuit. Ita eo die tantum eminus tormentis ab vtraque parte res acta, paucíque vtrinque deſiderati.

III. No-

III. Nonas Nouembr. Buquoyus baliſtas in ſtationẽ Vngarorum deſtinauit. Dux verò Maximilianus in caſtra hoſtium, & ciuitatem etiam tormenta direxit. Sed vapor nebulæ vſque ad primam pomeridianam proſpectum ſuſtulit, vt fieri nihil poſſet. Vbi nebula euanuit, vtrinque in vrbem, præſertim ex Boiaricis caſtris ſphæræ granatæ ſparſæ, magnum ſæpè in vrbe tumultum excitarunt; vnde facilè intellectum eſt, magna paſſim damna ab hoſte accepta. Hoc veſpere commeatus cum firmo præſidio in caſtra delatus eſt, quem Vngari fruſtra interuertere conati ſunt. 1620. 3. Nouẽ.

Sequenti nocte Buquoyus ſub vltimam vigiliam Vngarorum ſtationem opprimere conatus, omnibus copiis noſtris ad imperia paratis fruſtrà tamen fuit. Nam hoſtis iam per exploratores admonitus, vel idipſum per ſe futurum ſentiens, lacus vicini alueum aperuit, vnde tanta vis aquarum in vias & campos effuſa eſt, vt miles Buquoyanus pectore tenus merſus, vix potuerit eluctari: cum interea hoſtis ab ſuo loco ſe retrò ponè collem reciperet.

Pridie Nonas Nouembris cum denſa rurſus nebula caſtra ad meridiem vſque abſcondiſſet, quod pridie Cal. Nouembres in conſilio decretum fuit, Dux Maximilianus exequendum ſtatuit. Itaque militi in ſequentem diem profectio denunciata, ſimúlque annona per cohortes diuiſa. 4. Nouẽ.

Inter hæc Ser.mus Princeps & Buquoyus Wallenſteiniũ tribunum cum exigua manu equitum peditúmq; ad Launum vrbem recipiendam miſere. Ciues dato ad deliberandum ſpacio, vltro ſe dedidere, ſibi haud parum gratulati,

quod

1620. quòd in gratiam à Sereniſſimo Bauariæ Duce recepti eſſent. Itaque præſidium accepere, & vltrò Sereniſſimum principem vocauere.

Eodem die dum Buquoyus ad ſuorum cum hoſte velitationem accurreret, baliſtæ ictu ſecundum femur, leui, nec periculoſo vulnere, perſtrictus eſt.

5. Noue. Nonis Nouembribus ſub tertiam pomeridianam demum, (quòd antè nebulam ſol non abſterſiſſet,) totis caſtris compoſita velut ad prælium acie Sereniſſimus Princeps & Buquoyus iter ingreſſi, eodem veſpere ad duo millia quingentos paſſus quoad Litſchanum attingerent, confecere. Hoc die binis caſtris ſimul eadem hora proficiſcendum & ſimul incedendum erat, vt hoc tutiorem haberent receptum: proinde exercitus Sereniſsimi quamprimùm ad deſtinatum locum, vbi inſtruendæ erant acies (vt hoſti, ſi prælio experiri vellet, reſiſti poſſet) peruenit, hoſtem ſicubi lateret, explorauit. Cúmque nullum ab illo periculum eſſet, cœptum iter proſecutus eſt, cúmque iam ſiluam quà tranſeundum erat, ingreſſus eſſet Buquoyus, per internuncium apud Tillium ſupremum Ducis Maximiliani legatum queſtus eſt, quòd qua Cæſarianis legionibus incedendum eſſet, ipſe cum Boiaricis occupaſſet, cui Tillius; ſemper antehac eum in itinere ordinem obſeruatum eſſe reſpondit, vt Cæſariani à dextra, Boiarici ab ſiniſtra iter facerent: præterea ſe à viæ ducibus intelligere, viam quam Cæſariani per vallis longitudinem propter lacum eſſent ingreſsi, Boiaricis legionibus ab dextrâ, non ſiniſtrâ eſſe.

6. Noue. VIII. Idus cùm Boiaricæ legiones pridie præceſsiſſent, debebant poſtridie Buquoyani, militari lege, ſequi. Sed cum

Sed cum Litſchani pridie conſuetudo hæc præcedendi & ſequendi certo conſilio mutata eſſet, Sereniſſimus Princeps etiam hoc die prior exiuit, & Buquoyum præceſſit, quòd annona cum præſidio ex Boica ante triduum allata, niſi præmitteretur, ægrè & cum periculo ſecutura videbatur. Erat præterea in eo itinere ponticulus neceſſario tranſeundus, quem Buquoyo Sereniſſimus volebat vacuum & liberum relinquere. 1620.

Hoc ipſo die equitatus Boiaricus, qui exercitum præibat, incidit in triginta plauſtra omni genere annonæ & bellico inſtrumento onuſta, quæ Vngaricum præſidium tuebatur, quo ab noſtro equite cæſo, plauſtra capta, & Straſſonizium opidum, vbi prætoriana ſtatio collocanda erat deducta ſunt. Straſſonizium opidum triginta præſidiarij propugnabant, qui vbi noſtrum militem murum parum firmum ſuperaſſe viderunt, ad ædem ſacram confugerunt, deditíque in vincula coniecti ſunt.

Eadem luce hoſtis quoque Rakonizio mouit, & ad dextrum latus noſtri exercitus, interuallo non amplius duorum millium paſſuum, progredi cœpit. Sed cum iter ſilua impeditum eſſet, quam denſa quoque nebula tegebat, dolentibus noſtris, cum hoſte manus conſeri non potuit.

Veſperi cum Buquoyus ex vulnere æger eſſet, Sereniſſimus Princeps cum reliquis Cæſariani exercitus ducibus, conſilio coacto, decreuit, omnia ab vtroq; exercitu impedimenta remouenda, relinquendaq; in opido Straſſonizij, vt hoc expeditius hoſtem inſequi & intercludere poſſent, ne quà elaberetur.

Poſtridie Cæſarianis præcedendum erat, primaque 7. Nouē.

1620. luce vtrinque mouenda caſtra, vt ſimul in deſtinato loco conuenirent. Et cum Sereniſſimus Princeps maturè profectus, locum vtrique militi deſignatum attigiſſet aliquammultis horis Cæſarianos expectauit. Qui cum nuſquam apparerent, & nebula diſcuſſa, in editiore loco tres hoſtiles equitum turmæ apparerent, aduerſus illas Princeps aliquot peditum cohortes & equitum alas emiſit, quibus eminus proſpectis, hoſtis recepit ſe in alium collem, priore altiorem, cúmque nihilominus Boicum agmen aduerſus illū progrederetur; tum noſtri ex alto in ſubiectum & amænū campum deſpexere, vbi pars magna exercitus Bohemici in aciem compoſita conſiſtebat; Quo Sereniſſimus intellecto, & ipſe ſuis in Ordinem redactis, ad Cæſarianos miſit vt ſtrenuè ſequerentur, optatiſſimā pugnandi occaſionem eſſe oblatam; ſed illi tam lentè progreſſi, ſub veſperum demùm, ingruente iam nocte acceſſere, quando nihil amplius eo die geri potuit. Ita illa quoque occaſio pugnandi ob Cæſarianorum tarditatem indignante & fremente Principe, corrupta & amiſſa eſt, cùm omnium ſententia, rurſus eo die Hoſtis cædi & ad internecionē deleri potuiſſet. Princeps non longius ea nocte ab caſtris hoſtium conſtitit, quam quò teli iactus pertineret, nec niſi octaua noctis hora, tabernaculum ſuum compoſitis omnibus neceſſariis eſt ingreſſus.

Mox poſt horam, per exploratores intelligit, hoſtes totis caſtris ſine Ordine certatim ſe inde proripere. Itaque Principi, tribunis in conſilium vocatis viſum, equis paululum refectis, hoſtem inſequendum. Quod & Buquoyo (qui ex vulnere nondum conualuerat & febricula tentari cœperat), ſignificatum eſt, qui ſe

iam negotium dediſſe tribuno Gauche affirmauit, vt cum quingentis equitibus machinas bellicas conaretur hoſti extorquere. Quod autem omnibus copiis, támque manè Sereniſſimus Princeps hoſtem inſequi vellet, conſultum ſibi non videri, ſuas legiones tardiùs in caſtra veniſſe, ex itinere languere, nec vno in loco ſtationes habere, quas priuſquam in vnum cogeret, hoſtem interim longiùs progreſſurum, ſed cum rurſum de occaſione hoſtem opprimendi cognouiſſet, correcta ſententiâ & ipſe cum ſuis maturauit. Itaque Sereniſſimus concubia nocte ſub horam duodecimam equum inſiliit; & totis caſtris ſuis hoſtem inſequi tota reliqua nocte cœpit. Sub Auroram non procul à pago quodam ſe abeſſe animaduertit, vbi Tillius nuncium accepit, iam ad alteram pagi viam primas equitum Boicorum turmas cum hoſte certamen contraxiſſe. Quare Tillius cum reliquis copiis conſtitit, quoad ea de re Principem doceret, & Cæſarianus exercitus exercitui Boiarico coniugeretur. Sed ne eques, cum hoſte iam congreſſus deſereretur, Tillius illi Anholdum ſupremum vigilum præfectum, cum ducentis equitibus ad alteram vici partem ſuppetiatum miſit, ſimúlque hoſtium conſilia & progreſſum exploraturus, ipſe loci ſpeculandi cauſa, eodem ſe contulit, animaduertítq; ex altero vici latere cõmodiſſimam eſſe planiciem ad aciem explicandã & ordines inſtituendos, q, mox Principi & Buquoyo, qui curru iuxtà legiones Boicas vehebatur, ſignificauit. Cenſuit tamen Buquoyus non vlterius progrediendũ ſed militem cis, non trans pagum, vti Tillius ſuaſerat, in aciem cõponendũ. ſed Tillius, q, Buquoyus ipſe locũ nõ inſpexiſſet,

VI. Id. Nov.
8. Nou.

1620 negauit, aptum ad inſtruendum exercitum locum eſſe cis pagum, nam ſi in hoſtem inſtructis copiis eundum eſſet, propter obſtantem pagum, cornua diuidenda: Itaq; Boicus miles trans pagum progreſſus, ibi in ordines (ſpectante hoſte qui ad ponticulum quendam deflexit) conuenit, & ad pugnam ſe compoſuit. Tillius inde rurſum Bohemos ſpeculatus, deprehendit non ſolum ponticulum ab illis deſertum, ſed Baronem Anholdum vigilum præfectum è noſtro exercitu cum ſuis pontem ſuperaſſe, & in colliculum etiam vicinum euadere conari, quod Tillium mouit, vt tribuno Floreinuillo imperaret, eundem vt pontem cum ſua legione tranſiret, & in edito loco imperia vlteriora expectaret. Sed cum Anholdus in colle editiore cõmodiorẽ ſtationi locum inter lapidoſas ſcrobes animaduertiſſet, ad illas occupandas Floreinuillum tranſmiſit. Hos duos Ordinum ductores ſecuta ſunt tota Principis caſtra, ponticulumque feliciter, ſine vllius impedimento tranſierunt. Sed cum hoſtis nondum ſe caſtris commouiſſet, editóq; ex loco quem primæ Boiorum cohortes occuparunt, retro in cœptas operum munitiones ſe reciperet, dederat noſtratibus præclaram cladis inferendæ occaſionem, & aciem vel omnino diſſipandi, vel certè eripiendi locum & tempus, tormentorum dirigendorum & ſe muniendi. Sed Buquoyus obteſtatus eſt Sereniſſimum Principem, vt Cæſarianorum aduentum expectaret; nec tantoperè ad conſerendum prælium properaret. Obſecutus eſt Sereniſſimus ob Cæſ. Maieſtatis nomen & honorẽ, cum etiam in ipſius Buquoy gratiam, adeò vt ipſe Ser.mus ruentes in hoſtẽ cohortes ſuas tantiſper diſtinuerit, dum Cæſarianæ Boicos aſſequerentur, quemadmodum

tabula ære inciſa rem oculis ſpectandam ſubiicit. Sed cum 1620.
interea loci Princeps animaduerteret hoſtem caſtra mu- num. 1.
nire & Cæſarianos ſeriùs conuenire, monuit & ipſe & Tillius Buquoyum, vt cum ſuis maturaret, & ſe quamprimū cum Boicis legionibus coniungeret, antequam hoſtis operum munitiones abſolueret, caſtráq; clauderet, vnde nec elici nec vinci poſſet. Ita tandem Buquoyus quoque rem accelerauit, ſtatímque miles in aciem digeſtus & ad prælium inſtructus eſt, vti altera tabula, quam ſpe-
ctas, docet. Tum Sereniſſimus Princeps Cæſariani exerci- num. 2.
tus duces & legionum ductores, vnáque Tillium legatum ſuum & Baronum Anholdum in conſilium vocauit, vt de ratione modóque hoſtis aggrediendi ſententias exquireret. Sed in conſilio non tam quomodò pugnandū, quàm an omninò id temporis & loci pugnandum eſſet, quæſitū eſt. Iam enim hoſtis ſe in ſuas ſtationes receperat; iam caſtra vtcunq; operibus firmarat, locum etiam prælio opportuniorem & editiorem occuparat, recentem militem in ſubſidium ex ipſa vrbe accerſierat: videri ergo potius faciendum, quod Buquoyus ſuadebat, Pragam ipſam ex altero latere petendam; vt ita hoſtis ex opportunis ſtationibus ſuis eliceretur. Hæc dum variis ſententiis in conſilio agitantur, nec duces de ſumma rei conueniunt, adeſt la Motta prolegatus, qui hoſtium munitiones interim coram explorauerat, ex quo cognitum eſt; hoſtium opera tam firma non eſſe, vt omittenda ſit prælij occaſio diuinitus oblata; præſertim cum hoſtium tormenta ex eo loco noſtris copiis multo minus nocere poſſint, quàm ſi ad alterum latus Praga peteretur. Communibus ergo ſententiis, Deo Opt. Max. duce & auſpice, cuius honos eo præ-

lio potiſſimum ſpectabatur, decretum eſt, hoſtem rectà
1620. aggrediendum.

Itaque ex vtroque exercitu duo firma peditum agmina, quæ quatuor acies efficiebant, cum opportunis equitum alis in hoſtem deſtinata. Teſſera militaris in eo prælio fuit, *Sancta MARIA*, ab Sereniſſimo Principe data, quod in prætoriano ſigno Magnæ Dei Matris & Virginis, optimæ maximæ gentis Boicæ exercitúſque tutelæ ſoſpitatricis & ſeruatricis imago eſſet expreſſa. Imperium Sereniſſimi Principis in exercitu Boico executus eſt Tillius; Cæſarianos Tieffenbachius ab dextro cornu in hoſtem duxit. Tillius ſiniſtrum latus tenuit. in ſubſidiis vterque exercitus tria agmina conſtituit, quæ opportunis vbique locis ſuccurrerent. Ergo duodecimam intra & primam pomeridianam DEO duce miles hoſtem in monte Weiſſenbergiano, quaſi tu diceres, in monte Albano, in quem clemens erat aſcenſus, aggreſſus eſt. Tillius vt ſupra demonſtratum eſt, Boios; Tieffenbachius Cæſarianos duxit: ſuperiore loco conſtiterat hoſtis, concurſum eſt acerrimè, & excuſſis vtrinque tormentorum fulminibus omnia ingenti fragore pertonabant: dimidiâ horâ ancipiti Marte depugnatum eſt; conſiſtebant vtrinque aduerſæ & ferratæ acies tanquam muri aut ahenea cautes, ac primùm Catholici exercitus acies cœpit nonnihil fluctuare, quòd ſtrenuus iuuenis Chriſtianus Dux Anhaltinus, Chriſtiani ſummi hoſtium ducis filius, tanta vi cum ſuo equitatu in equitem Cæſarianum illatus ſit, vti diutius ſuſtineri non poſſe videretur, ſed Cæſarianus eques pedem referre cogeretur; quo factum eſt vti proximè Tieffenbachiana & Preineriana legiones

ter-

terrore perculſæ inciperent Ordines turbare, præſertim cum ducem ſuum Preinerum captum viderent. 1620.
Quod periculum vbi Tillius animaduertit, ſubito Krazium fortiſſimum virum in dextra Boiarici exercitus parte curantem, quingentis equitibus ſtipatum, in Anhaltinum immiſit, qui ritu fulminis cum ſuis in iuuenem inuectus, aciem ipſius equeſtrem, quæ nouem turmis conſtabat, ſtrauit, cecidit, ac denique totam diſſipauit, ipſum etiam Anhaltinum ex equo deiecit, qui variis vulneribus confectus, poſteà captus fuit: qua ſtrage attoniti primi Vngari terga vertere, & quà data via certatim non tam fugere quàm auolare & ruere per decliuia montis cœperunt, vnde & legiones hoſtium nutare, fugam circumſpicere, ac ſeſe recipere (vti imago num. 3.
prælij tertià tabulà adumbrata oſtendit) conatæ ſunt. Sed cum Sereniſſimus Princeps & Buquoyus cum reliquis copiis omnibus hoſti territo & in ſtationes ſuas ſe recipienti acerrimè inſtarent, munitiones expugnarent, & tota hoſtium caſtra occuparent, factum eſt, vti Deo fauente & vincente clariſſima poſt hominum memoriam victoria (vt quarta & poſtrema tabula demonſtrat) num. 4.
obtineretur, hoſtis enim cæſus, fuſus, fugatus, & tantum non ad internecionem deletus eſt. Durauit prælium non amplius horam, quæ tam felix & beata Catholico orbi illuxit. Boiaricus exercitus hoſti tormenta maiora ſeptem, Cæſariani tria extorſerunt, vterque ſimul exercitus vexilla centū plus minus in poteſtatem redegit. Cecidiſſe creduntur hoſtium ſex millia, pars in ipſo conflictu interfecti, pars in fuga ad vtrumque latus obtruncati, capti quingenti, inter quos, vti dictum, ſaucius Dux

Chri-

Chriſtianus Anhaltinus iunior, Senioris filius: Comes Sty-
1620. rumb & Comes Rhenus (Siluestris, dictus) Comes etiam
Schlikius, cum tribunis aliquot & qui pro tribunis cum imperio hoſtili exercitui præfuere. Ex Cæſarianis & Boiaricis vltra ducentos quinquaginta nō deſiderati, Sauciati quamplurimi: Inter obtruncatos fuit præfectus caſtrorum Caratti Neapolitanus, Meggauius tribunus, Baro Petersheimius & præter gregarios duo è Gallis viri primarij. Secundum partam Victoriam placuit Suæ Serenitati & Buquoyo victoribus, ſtatim vti victoria, & caput regni Pragā, è veſtigio aggredi. Itaque eodem veſpere exercitus totus peditum ſub ipſum murum ſucceſſit, ibiq; caſtris poſitis, per noctem ad mœnia excubuit.

9. Nouē. V. Idus Nouemb. Miles, & inter cæteros, Vallones, in mœnia euaſerunt. Pars vrbis interea quam minorem Pragam appellant (eſt enim Praga quaſi tripolis, Minor, Vetus, & Noua) mittit literas ad Sereniſſimum Principem, quibus & aduentum illi & victoriam gratulatur, ſimúlque affirmat, ab illo ſe quid imperaret expectare. Ergo ne militum rabies in obuios quoſq; debaccharetur, omneſque ſine diſcrimine obtruncaret, ipſe Sereniſſimus vrbis mœnia acceſſit, vt & inſolentiam militarem reprimeret, & direptionem vrbis præcaueret. Inter hæc etiam qui veterē & Nouam Pragam colunt, adlegant caduceatorem ad Sereniſſimum petúntq; triduum ad capiendum conſilium, ſpe data, ſe bene affectos animos erga ſuam Serenitatem, declaraturos. Sed Princeps cum facilè perſpiceret, quorſum illorum cunctatio pertineret, nec triduum, nec omnino horas tres ad deliberandum dedit, ſed in aperto cāpo, (nondum enim in vrbem mouerat,) ciuibus, vti ſequā-

primum

dederent, atque id præſentibus Cæſariani & Boiarici ex- 1620.
ercitus Ducibus, legatis, & tribunis, ipſoque vtroque exercitu ſpectante, imperitauit, ſimúlque legionem ipſe Princeps, & alteram Buquoyus ad vrbis portas deſtinarunt, vt vrbis direptionem prohiberent, capitiſque periculo Princeps ſanxit, ne quis militum ab ſignis diſcederet, eandémque legem tribunis dixit, qui ſuas cohortes in officio non continerent, quod & Buquoyus impulſu Sereniſſimi inter ſuos edixit.

Vngari cùm in fuga & terrore flumen Moldauiam traijcere conarentur, mille admodum, vt ciues ſpectatores teſtati ſunt, alius alium impellendo hauſti ſunt. Poſt meridiem Sereniſſimus ad Retſchinum, vrbem ingreſſus, apud Patres Capucinos ex equo deſcendit, Deúmque in æde ſacra veneratus, occurrentibus in egreſſu Guilelmo Popelio, (qui ſe pro regio præfecto gerebat,) & quinque ex Ordinum regni collegio, per ſcriptum ſua poſtulata exponentibus, ita reſpondit ipſe Sereniſſimus incoràm, vt obiectis perduellionis facinoribꝰ reis lacrymas expreſſerit.

Sequenti die actum eſt cum milite, qui ex prælio vi- 10. & 11.
ctus per fugam ſe in vrbem receperat, vt vrbe cederet. Miſ- Nouem.
ſus ad illum tribunus Haimhuſius Sereniſſimi Principis nomine in publico foro veteris Pragæ in hanc ſententiam verba fecit. Non defuiſſe Sereniſsimo Boiorum Principi ſupremo belli duci vias modóſque quibus pro commiſſo Serenitati Suæ ab Cæſare imperio, grauiter in perduelles eorumq; aſſeclas animaduerteret, adeoq; nullã ferè ſubeſſe cauſam ſcire cur militi, qui perduellibꝰ Cæſaris aduerſus Cæſarem inſeruiſſet, qui pridiè in acie & p̄lio aduerſus ipſum Sereniſsimum Principem ſtetiſſet, ipſúmque armis

1620. publicè oppugnaſſet parcere debeat, Serenitatem tum ob certas rationes variáſque cauſas, tum quod ipſi publica fide liberum diſcedendi commeatum vltro petiiſſent, hanc illis velle gratiam facere, vt ex vrbe ſaluis ea lege abire liceat, vti quamprimum ex ædibus & ſtationibus ſuis excedant, ac demum vrbem iam in fidem Cæſaris receptam, deſerant. Ad hæc milites ſe quidem quam petiiſſent fidem publicam & liberum decedendi commeatum acceptare, ſed fidem publicam ſeu commeatum decedendi non alia conditione petiiſſe, niſi prius ſibi ab Ordinibus, à quibus conducti eſſent, ſtipendia nondũ ſoluta, adnumerarentur. Faceret proinde Sua Serenitas & Ordinibus mandaret, vti ipſis de reſiduis ſtipẽdijs ſatisfiat, alia ſe conditione nulla vrbe exceſſuros. Cum ergo Haimhuſium ob ſtipendia valde vrgerent, eúmque in medio foro corona cingerent, trucéſq; vim & arma minari velle viderentur, & ſtipendia importuniſſimè flagitarent, nec prius iurarent abituros, quam debita ſibi ſtipendia accepiſſent; peteréntque, vti ſaltem ſibi liceret ex eorum bonis à quibus conſcripti eſſent, ſua nomina debitáque petere, ſed allegatus ad illos Haimhuſius explicata oſtenſáque illis iniquæ poſtulationis ratione, primùm quod Ordines ſine ordine contra leges feciſſent, quando militem aduersùs legitimum, coronatum, & ab imperio in fidem receptum probatúmq; regem ſuum, Suam nempe Cæſaream Maieſtatem conduxerunt. Ipſos deinde milites publico prælio victos fugatóſque in numero hoſtium cenſeri. Proinde niſi ſponte vrbe excederet, non defuturum Principi modũ, quo illos vi armíſque pelleret. His rationibus conuicti, miníſque ſimul territi, tandem manus dedere & ſe ſponte

ceſſu-

ceſſuros oſtenderunt, quod & poſtridie fecerunt, vrbémque metu liberarunt. 1620.

Eodem die Minor, Vetus, & Noua Praga ſimul ad ſacramentum S. C. M. regi Vngariæ & Bohemiæ dicendum euocata, id promtè obedientérque præſtitit, nec tantum in verba Cæſaris ſingillatim ciuitas tota iurauit, quòd Ferd. II. Cæſarem ſolum & vnicum hæreditarium coronatum & imperij fiduciarium regem agnoſceret, ſed omnia alia cum alijs fœdera contra Cæſarem inita reſciderunt, antiquarunt, & eiurarunt, ſeſeque ſuo legitimo regi obſecuturos, vti omnis honeſti obſeruantes fidóſque clientes deceret, ſanctiſſimè receperunt, ſacramentúmque ſcripto conſignarunt, & ſine vlla lege, conditione mentionéue priorum priuilegiorum ſeruandorum (quod probè obſeruandum) Suæ Serenitati literas reuerſales, vt vocant, ſiue ſignatum trium vrbis partium, hoc eſt totius Pragæ minoris, veteris & nouæ ſignis communitum obedientiſſimè tradiderunt. Et quamuis Ordines primum citati priuilegiorum, immunitatum & conſuetudinum veterum mentionem fecerint, omniúmq; præteritorum factorum amniſtiam ſeu iniuriarum factarum obliuionẽ ſanciri voluerint, Sereniſſimus tamen per internuncios iam non amplius de priuilegiis agi reſpondit, nec ſe hoc in mandatis ab Cæſare accepiſſe, vt (quoniam gratiam & veniam primò oblatam reiecerint, & eò ſint vſque progreſſi vti vis & arma fuerint adhibenda) quicquam de priuilegiorum & priorum immunitatum conſeruatione tractaret. Hoc iam agerent, & Cæſari ſe abſque vlla conditione & lege ſubiicerent, illicq; obedientiã & obſequiũ iurarent. De priuilegiis & amniſtia ipſi poſtea cum legitimo ſuo rege agerent.

1620. Pridie Idus Nouembres ante meridem apud Suam Serenitatem frequentiſſimi ex Ordinibus, quotquot Pragæ fuerunt, dynaſtarum & equeſtris ordinis cum nobilitate apparuere, impetratóque aditu, omnium loco Guilelmus Popelius, qui perſonam pretoris regni & præſidis prouinciæ ſumſerat, poſtquam ſinguli ad dextræ oſculum admiſſi ſunt, ita præfatus eſt. *Quandoquidem omnes qui ex Ordinibus adeſſent, probè intelligerent & publicè teſtarentur, quantopere, & quàm grauiter, quámque multis & multigeneribus modis in ſac Cæſ. & regiam Vngariæ & Bohemiæ Majeſtatem Ferdinandum II. peccarint, & ſecutis inde publicis tumultibus tot & tam atrocibus belli cladibus, quas adhuc perpeterentur, cauſam dediſſent, ità omnes etiam atq, etiam vehementer ex animo dolere (quos & is qui verba faciebat Popelius lacrimantibus oculis & flebili voce teſtabatur) infimiſq, precibus ab Sua Serenitate C. & regia Maieſtate veniam pacemque orare, & quicquid deſignarint, ſubmiſiſſimè deprecari, Suámque Serenitatem (Principem, inquiunt, Boiorum) rogare. vti apud Cæſarem, clementiſſimum Ordinum patronum agere dignetur; quo rurſum apud S. C. M. in gratia reponantur & in fidem recipiantur, publicè teſtati & profeſſi, nullum ſe alium regem ac dominum præter Suam S. C. & regiam Maieſtatem agnoſcere, habere, & venerari: ac deinceps eidem obſequium debitum, prout fidos Ordines & probos clientes deceret praſtaturos.* Hîc ſignatè notandum eſt, ab Ordinibus in hoc conuentu & oratione, nullam amplius factam priuilegiorũ mentionem; cum tamen in primo cum Sereniſſimo congreſſu, qui IX. Nouembris habitus fuit, acerrimè priuilegia ſua vrgerent.

Cum Popelius peroraſſet, Ioannes Chriſtophorus à Preiſing ab Hohenaſchau & Seldenhueben, prætor Landishutanus Suæ Serenitatis nomine reſpondit; *Ritè & ordine*

ordine facere illos, quod ſe contra ius fas antehac egiſſe profeſſi ſint, 1620.
& nec alium poſthac, quam Ferdinandum II. Cæſarem, pro ſuo legitimo, hæreditario, coronato, inuncto & ab Imperio confirmato rege admiſerint illiq; obſequium & obedientiam præſtare parati ſint: Sed neceſſarium eſſe, vt omnia pacta & fœdera cum aliis per hoſce tumultus inita reſcindant & aboleant, publicáque fœderum inſtrumenta, cum ipſis autographis & ſignis Sereniſſimo Principi exhibeant, vti tandem pax in regnum reduci, omniáque in tranquillum ſtatum reſtitui poſſint. Inter hac tamen non committent Ordines, quo minus Cæſari Sacramentum dicant, debitámq; obedientiam & obſequium ſpondeant, quoad Imperator de reliquis rebus ſtatuat, omniáque componat. Nec abnuerunt Ordines è veſtigio iuſiurandum edere, eademq; hora obſequium præſtitiſſent, niſi quædam interceſſiſſent, quæ rem in alterum diem reiiciendam ſuadebant: quòd aliqui ex Ordinibus, quorum præſentia neceſſaria videbatur, non ſolum abeſſent, ſed reliqui etiam qui præſentes fuerunt, hanc reliquorum abſentiæ cauſam prætenderent, quod certiores facti non eſſent, hac ipſa die iuſiurandum ab iis exactum iri: Ordines tamen nihilominus interim ad teſtandam fidem & obſequium in eam horam paratos ſe dicebant in Cæſaris verba iurare, quod non dubitarent, abſentes etiam, quod ipſi feciſſent, ratum habituros.

Interim Ordines petiere ab Sereniſſimo Boiorum Principe vti ſibi publica fide benignè caueret, quo & ipſi & coniuges ac liberi ab militum irruptionibus in ædes & direptionibus ſecuri viuerent. Recepit hoc illis Sereniſſimus, quod ad ipſum pertineret ſe facturum, & Buquoyum quoque ſuper ea re admoniturum, ſed eundem ab ipſis quoque Ordinibus conueniendum & rogandum, vti ipſis apud ſuos caueret,

1620. Sub idem tempus ciuitas cui nomen Bohemo broda. miſit ad Suam Serenitatem literas, quibus teſtata eſt, ſe vrbem ſuam Cæſari dedere, rogaréq; vt ſuam ſibi religionem retinere liceret, & priuilegia ſarta ſibi tecta cuſtodirentur, quibus in eundẽ ſenſum fuit reſponſum ſicut cæteris ciuitatib⁹, quæ in fidẽ Cęſaris à Ser.^me receptę fuerunt.

13. & 14. Sequenti biduo Ordines Bohemiæ, vti pridie inter Suam Serenitatem & illos conuenerat, admodum frequẽtes adfuere: ac primum Eccleſiaſtici ſeorſum, Sereniſſimo Principi ab re diuina redeunti victoriam gratulati, ſupplicem libellum porrexerunt, quo poſtulabant non ſolum, vt in tutelam Cæſaris reciperentur, ſed obnixè precabantur, vt ademta ab Ordinibus bona Eccleſiaſtica ſibi reſtituerentur. Quibus Sereniſſimus reſpondit ſe poſtulatorum apud Cæſarem memorem fore, & ſupplicem libellum, quò par eſſet, miſſurum. Ingreſſi dein in conclaue Suæ Serenitatis politici ex Catholicis Ordines Barones, equites & nobiles, teſtati ſunt, rogarúntq; vt Sua Serenitas apud Sac. Cæſ. Maieſt. vbi de ſtatu Bohemiæ relatura eſſet, ſingularem eius teſtificationis mentionem faceret, quicquid ab ſe contra S. Cæſ. Maieſt. ab Ordinibus peccatum patratúmq; eſſet, id ab ſe inuitis & coactis factum eſſe. de cætero ſe nunquam quicquam aduersùs Cæſarem per ſe molitos, ſemper in eius obſequio & obedientia perſeueraſſe. Quibus idẽ ferè reſponſum, ſicut de Eccleſiaſticis modò dictum eſt. Tum deinde quæſitũ ex reliquis Bohemiæ Ordinibus qui frequentiſſimi aderant, an ſecum autographa publicorum inſtrumentorum, quibus ſocietatem & fœdera cũ exteris prouinciis inita teſtati eſſent, in promtu & manibus haberent? iam hoc ipſum agi ab ipſis, & omnes tabulas

tabulas conquiri, affirmarunt, ſimúlque Suam Serenitatem docuerunt, eſſe ex Ordinibus multos, qui ſe Euangelicos dicerent, & nihil cum Anabaptiſtis, Picardis Fratribus & Caluiniſtis negotij aut ſocietatis haberent, quibus hæ ab Cæſare defectiones, tumultus, & inteſtinæ diſcordiæ nunquam placuiſſent. Multa ab aliis Ordinibus clam actitata factáq;, quorum ipſi nunquam cõſcij fuiſſent. Quamobrem rogare illos Suam Serenitatem vti ſeorſum audiātur, vbi ſuam innocentiam Suæ Serenitati copiosè ꝓbaturi eſſent. Quibus Ser.^mus renunciari iuſſit, ſe illis vel illo ipſo die, niſi tẽporum anguſtiis excluderetur, operā daturum, vel certè poſtridie, ſi poſt rem diuinam adeſſent. 1620.

Inter hæc Buquoyus & Princeps Liechtenſtainius qui ad hunc actum à Ser.^mo Principe euocati erant, ab ipſius Serenitate auditi, dein ipſis præſentibus admiſſi ſunt Ordines Bohemiæ, inſtrumenta & literas autographas ſubſcriptis nominibus & ſignis appenſis Suę Serenitati repręſentarunt. Erant tabulæ ſex; inter quas teſtes initi fœderis cum Bethlemo Gabore, cum prouincia Anaſſiana ſuperioris Auſtriæ, cum Sileſiis & Morauis, cum vtriſque Luſatiis, omnes autographæ ſubſcriptæ & ſignatæ fuere. Tum Ordines quæ pridie per Popelium præfati erant, iterarunt, quibus pari modo prætor Landishutanus Preiſingius vt antè reſpondit. Exin prælecta eſt Ordinibus iuriſiurandi formula, qua ſe nouo ſacramento Cæſari addixerunt & ſubiecerunt: cuius formulę ſententia hęc erat: *Fateri omnes Ordines grauiter ab ipſis erratum & peccatum eſſe, quòd ab Cæſare Ferdinando II. legitimo ſuo & hæreditario, coronato, inuncto & ab Imperio in fidem accepto rege defecerint, & in illum inſurrexerint. Hoc ab ipſis factum dolere, factúmque nolle, ac deinceps*

1620. *deinceps neminem alium, quam ſuam Sac. Caſ. & regiam Maieſt. Ferdinandum II pro ſuo legitimo, vero, iuſto Bohemiæ rege recognituros, accepturos, culturos, & obſeruaturos, eique in omnibus obſequium & obedientiam (velut officium ab fidis, probis & obſequentibus ſubiectis & clientibus exigeret,) præſtaturos, omnibus aliis promiſſis, iureiurandis, fœderibus, ſocietatibus Cæſari contrariis, quomodocunque & cum quibuſcumcunq; contractis, & initis, renunciando, cõtradicendo, & abolendo, id quod iam de integro protenſis digitis ſolenni iuramento teſtaturi eſſent; & tabulas etiam huius iuriſiurandi, ſiue literas reuerſales, quod hæc omnia executuri ſint, teſtes, intrà quartam & vigeſimam horam chirographo ſubſcriptas & ſignatas Sereniſſimo exhibere velint.*

Formula porrò ipſa priuſquam conceptis verbis iurarent, in ſcripto illis tradita eſt, vt illam recognoſcerent, & Bohemica Germanicáque lingua publicè prælecta. Tum demum ſolenne iuſiurandum porrectis digitis ab omnibus Ordinibus præſtitum eſt, qui formulam ab præeunte lectore pronunciatam ſecuti, ad verbum pronunciarunt. Sed hoc ſignatè hîc obſeruandum, verbum hoc in formula expreſſum (quo Cæſar Ferdinandus II. Rex hæreditarius pronunciatur) ab Ordinibus ſine vlla tergiuerſatione aut contradictione aut dubitatione acceptum atque iuratum fuiſſe: & ipſum iuſiurandum quemadmodum è ſcripto recitabatur, & in acta relatum eſt, ſine vlla conditione, exceptione, hæſitatione, datum editúmque. Quin & formulam ipſam dati iuriſiurandi literis comprehenſam & chirographis ſiue literis reuerſalibus, vt appellant, & ſigniſteſtatam, cuius copia hodie in tabulario Sereniſſimi ſeruatur, Cæſari repræſentandem Sereniſſimo Principi in autographo exhibuerunt.

Eodem

Eodem die Iduum Nouemb. cum Sua Serenitas didiciſſet regium Bohemiæ diadema cum gemmarum theſauro, in curiam veteris Pragæ translatum, Ordinibus præcepit, vt illud in priſtinum locum vbi D. Wenceslai ſacrarium in ſummo templo erat, referrent, quod ſe quamprimum facturos receperunt, adeóq; illa ipſa die, qua Sereniſſimus in Boiariam ex vrbe diſceſſit, in ſacrarium repoſuerunt. 1620. 13. Nou.

Septimodecimo Calend. Decembres duo ex Britannia legati apud Suam Serenitatem de pace componenda egerunt, quærendam aliquam viam, qua inter Cæſarem, reges, & Principes pax conueniret. Sed cum ſingillatim nihil adferrent, quo modo res tractanda foret, Sua Serenitas generatim, quæ res poſtulabat, reſpondit. 15. Nou.

Tum Sereniſſimus Princeps ſuis aulæ officiis & miniſtris profectionem in alterum diem indixit, ſuóque loco quoad Cæſar alios deſignaret, Principem Liechtenſtainium regni vicarium & præſidem Bohemis dedit, qui ab alijs nondum iureiurando adſtrictis, fidem pari modo exigeret: cum Tillium cum maiore parte copiarum præſidio eſſe iuſſit. Miſit quoque ad Saxoniæ Principem Imperij VII virum, qui ſuam illi poſt deuictam Bohemiam, reditionem in ſuam prouinciam, ſignificaret, ſimúlque doceret Tillium legatum cum aliquot legionibus Pragæ relictum in mandatis habere, vt ſi legionibus illis & Tillij opera vel ſubſidio egeret, petere nihil dubitaret, Tillium ſubitò cum ſuis cohortibus ad Suam Celſitudinem aduolaturum.

Poſtridie impedimentis præmiſſis Sereniſsimus varias literas ad varios dedit, ea quæ ad Cæſarem erant mit-

1620. tenda, expediuit, Ordinum ſcilicet Iuſiurandum ſcripto comprehenſum & conſignatum; fœderatorum cum Bohemis & Bohemorum cum illis, tabulas autographas, acta & actitata Directorum ſiue XXX tyrannorum Bohemiæ & quæ alia ad eam rem pertinebant.

17. Nou. Quintodecimo demum Calend. Decembres Sereniſſimus Princeps rebus, prout in ijs temporum anguſtiis fieri potuit, optimè compoſitis, Praga diſceſſit, & prima nocte duodecim millibus paſſuum confectis in Mniſcæ oppido caſtra poſuit.

18. Nou. Poſtridie ſedecim millia emēſus Brſchibronnæ quieuit, & poſtera luce viginti millia progreſſus

19. Nou. Grunbergam ſub noctem intrauit, vbi Althaimium dynaſtam ab Cæſare ad Poloniæ regem legatum offendit, qui cum, vbi diluxit, copioſiùs & familiariùs egit. Dein nonnulli Pragenſes ciues querelas apud Sereniſſimum depoſuere, quod defectionis & belli tempore ab triginta tyrannis, qui ſe Directores dixerant, omnibus bonis exuti fuiſſent. attulit & è Societate Ieſu Pater literas ab Cæſare, quibus idem, quod à ciuibus ſpoliatis, petebatur, vti Princeps & ciuibus ſua, & Collegio Pragenſi erepta reſtitui imperaret: quos cum literis Sereniſſimus ad Liechtenſtainium regni præſidem & prolegatum miſit, qui id quoad eius fieri poſſet, exequeretur, eodémque die decem ferè millia paſſuum progreſſus Glattouium peruenit, vbi à Conſulibus & ſenatu honorificè cum victoriæ gratulatione exceptus, rogatúſque eſt vti ſibi ciuitatem commendatam haberet.

XI. Calend. Decemb. fines Bauariæ ingreſſus, Neukirchij omnes militares cohortes quas præſidij cauſâ ſecū duxerat, cum Herlebergero copiarum ductor in Bohemiam.

miam poſtridie remiſit. Dederat etiam negotium certis hominibus dum adhuc Pragæ eſſet, paulò ante diſceſſum, vti quamprimum ipſe Boicā ingrederetur, cum curribus præſtò eſſent, quo expeditius Monachium reueheretur. Deduxit etiam ex opido Furta Eſchelkaimio & vicinis locis, quæ in Boiaricæ finibus ſitæ ſunt, præſidia, quæ ex popularibus conſtabant, ac domum quémque ſuam dimiſit. Impedimenta quæ properantem Principem aſſequi non poterant, paullatim per Viechtachium & Straubingam ſequi iuſsit. 1620.

Ipſe Sereniſsimus altero & vigeſimo Nouembris prima luce inde digreſſus, quinto & vigeſimo Monachium ſaluus & incolumis redijt, Deóque, cuius præſentem opem ſenſerat, victoriam tantam, tam inexpectatam & inuſitatam gratulatus, meritò ſoli in acceptis retulit & aſſignauit.

FINIS.

1620. publicè oppugnaſſet parcere debeat, Serenitatem tum ob certas rationes variáſque cauſas, tum quod ipſi publica fide liberum diſcedendi commeatum vltro petiiſſent, hanc illis velle gratiam facere, vt ex vrbe ſaluis ea lege abire liceat, vti quamprimum ex ædibus & ſtationibus ſuis excedant, ac demum vrbem iam in fidem Cæſaris receptam, deſerant. Ad hæc milites ſe quidem quam petiiſſent fidem publicam & liberum decedendi commeatum acceptare, ſed fidem publicam ſeu commeatum decedendi non alia conditione petiiſſe, niſi prius ſibi ab Ordinibus, à quibus conducti eſſent, ſtipendia nondũ ſoluta, adnumerarentur. Faceret proinde Sua Serenitas & Ordinibus mandaret, vti ipſis de reſiduis ſtipẽdijs ſatisfiat, alia ſe conditione nulla vrbe exceſſuros. Cum ergo Haimhuſium ob ſtipendia valde vrgerent, cúmque in medio foro corona cingerent, trucéſq; vim & arma minari velle viderentur, & ſtipendia importuniſſimè flagitarent, nec prius iurarent abituros, quam debita ſibi ſtipendia accepiſſent; peterént que, vti ſaltem ſibi liceret ex eorum bonis à quibus conſcripti eſſent, ſua nomina debitáque petere, ſed allegatus ad illos Haimhuſius explicata oſtenſáque illis iniquæ poſtulationis ratione, primùm quod Ordines ſine ordine contra leges feciſſent, quando militem aduersùs legitimum, coronatum, & ab imperio in fidem receptum probatúmq; regem ſuum, Suam nempe Cæſaream Maieſtatem conduxerunt. Ipſos deinde milites publico prælio victos fugatóſque in numero hoſtium cenſeri. Proinde niſi ſponte vrbe excederet, non defuturum Principi modũ, quo illos vi armíſque pelleret. His rationibus conuicti, miníſque ſimul territi, tandem manus dedere & ſe ſponte ceſſu-

ceſſuros oſtenderunt, quod & poſtridie fecerunt, vrbémque metu liberarunt. 1620.

Eodem die Minor, Vetus, & Noua Praga ſimul ad ſacramentum S. C. M. regi Vngariæ & Bohemiæ dicendum euocata, id promtè obedientérque præſtitit, nec tantum in verba Cæſaris ſingillatim ciuitas tota iurauit, quòd Ferd. II. Cæſarem ſolum & vnicum hæreditarium coronatum & imperij fiduciarium regem agnoſceret, ſed omnia alia cum alijs fœdera contra Cæſarem inita reſciderunt, antiquarunt, & eiurarunt, ſeſeque ſuo legitimo regi obſecuturos, vti omnis honeſti obſeruantes fidóſque clientes deceret, ſanctiſſimè receperunt, ſacramentúmque ſcripto conſignarunt, & ſine vlla lege, conditione mentionéue priorum priuilegiorum ſeruandorum (quod probè obſeruandum) Suæ Serenitati literas reuerſales, vt vocant, ſiue ſignatum trium vrbis partium, hoc eſt totius Pragæ minoris, veteris & nouæ ſignis communitum obedientiſſimè tradiderunt. Et quamuis Ordines primum citati priuilegiorum, immunitatum & conſuetudinum veterum mentionem fecerint, omniúmq; præteritorum factorum amniſtiam ſeu iniuriarum factarum obliuionē ſanciri voluerint, Sereniſſimus tamen per internuncios iam non amplius de priuilegiis agi reſpondit, nec ſe hoc in mandatis ab Cæſare accepiſſe, vt (quoniam gratiam & veniam primò oblatam reiecerint, & eò ſint vſque progreſſi vti vis & arma fuerint adhibenda) quicquam de priuilegiorum & priorum immunitatum conſeruatione tractaret. Hoc iam agerent, & Cæſari ſe abſque vlla conditione & lege ſubiicerent, illiq; obedientiā & obſequiū iurarent. De priuilegiis & amniſtia ipſi poſtea cum legitimo ſuo rege agerent.

1620. Pridie Idus Nouembres ante meridem apud Suam Serenitatem frequentiſſimi ex Ordinibus, quotquot Pragæ fuerunt, dynaſtarum & equeſtris ordinis cum nobilitate apparuere, impetratóque aditu, omnium loco Guilelmus Popelius, qui perſonam prętoris regni & præſidis prouinciæ ſumſerat, poſtquam ſinguli ad dextræ oſculum admiſſi ſunt, ita præfatus eſt. *Quandoquidem omnes qui ex Ordinibus adeſſent, probé intelligerent & publicè teſtarentur, quantopere, & quám grauiter, quámque multis & multi generibus modis in ſac. Cæſ. & regiam Vngariæ & Bohemiæ Majeſtatem Ferdinandum II. peccarint, & ſecutis inde publicis tumultibus tot & tam atrocibus bellicladibus, quas adhuc perpeterentur, cauſam dediſſent, ita omnes etiam atq; etiam vehementer ex animo dolere (quos & is qui verba faciebat Popelius lacrimantibus oculis & flebili voce teſtabatur) infimiſq; precibus ab Sua Serenitate C. & regia Maieſtate veniam pacemque orare, & quicquid deſignarint, ſubmiſſiſſimè deprecari, Suámque Serenitatem (Principem, inquiunt, Boiorum) rogare, vti apud Cæſarem, clementiſſimum Ordinum patronum agere dignetur; quo rurſum apud S. C. M. in gratia reponantur & in fidem recipiantur, publicè teſtati & profeſſi, nullum ſe alium regem ac dominum præter Suam S. C. & regiam Maieſtatem agnoſcere, habere, & venerari: ac deinceps eidem obſequium debitum, prout fidos Ordines & probos clientes deceret præſtaturos.* Hîc ſignatè notandum eſt, ab Ordinibus in hoc conuentu & oratione, nullam amplius factam priuilegiorũ mentionem; cum tamen in primo cum Sereniſſimo congreſſu, qui IX. Nouembris habitus fuit, acerrimè priuilegia ſua vrgerent.

Cum Popelius peroraſſet, Ioannes Chriſtophorus à Preiſing ab Hohenaſchau & Seldenhueben, prætor Landiſhutanus Suæ Serenitatis nomine reſpondit; *Ritè & ordine*

ordine facere illos, quod ſe contra ius fas ántehac egiſſe profeſſi ſint, & nec alium poſthac; quam Ferdinandum II. Cæſarem, pro ſuo legitimo, hæreditário, coronato, inuncto & ab Imperio confirmato rege admiſerint illiq; obſequium & obedientiam præſtáre parati ſint: Sed neceſſárium eſſe, vt omnia pacta & fœdera cum aliis per hoſce tumultus inita reſcindant & aboleant, publicáque fœderum inſtrumenta, cum ipſis autographis & ſignis Sereniſſimo Principi exhibeant, vti tandem pax in regnum reduci, omniáque in tranquillum ſtatum reſtitui poſſint. Inter hæc tamen non committent Ordines, quo minus Cæſari Sacramentum dicant, debitámq; obedientiam & obſequium ſpondeant, quoad Imperator de reliquis rebus ſtatuat, omniáque componat. Nec abnuerunt Ordines è veſtigio iuſiurandum edere, eademq; hora obſequium præſtitiſſent, niſi quædam interceſſiſſent, quæ rem in alterum diem reiiciendam ſuadebant: quòd aliqui ex Ordinibus, quorum præſentia neceſſaria videbatur, non ſolum abeſſent, ſed reliqui etiam qui præſentes fuerunt, hanc reliquorum abſentiæ cauſam prætenderent, quod certiores facti non eſſent, hac ipſa die iuſiurandum ab iis exactum iri: Ordines tamen nihilominus interim ad teſtandam fidem & obſequium in eam horam paratos ſe dicebant in Cæſaris verba iurare, quod non dubitarent, abſentes etiam, quod ipſi feciſſent, ratum habituros. 1620.

Interim Ordines petiere ab Sereniſſimo Boiorum Principe vti ſibi publica fide benignè caueret, quo & ipſi & coniuges ac liberi ab militum irruptionibus in ædes & direptionibus ſecuri viuerent. Recepit hoc illis Sereniſſimus, quod ad ipſum pertineret ſe facturum, & Buquoyum quoque ſuper ea re admoniturum, ſed eundem ab ipſis quoque Ordinibus conueniendum & rogandum, vti ipſis apud ſuos caueret,

1620. Sub idem tempus ciuitas cui nomen Bohemo broda. miſit ad Suam Serenitatem literas, quibus teſtata eſt, ſe vrbem ſuam Cæſari dedere, rogaréq;, vt ſuam ſibi religionem retinere liceret, & priuilegia ſarta ſibi tecta cuſtodirentur, quibus in eundẽ ſenſum fuit reſponſum ſicut cæteris ciuitatib⁹, quæ in fidẽ Cęſaris à Ser.^mo receptę fuerunt.

13. & 14. Sequenti biduo Ordines Bohemiæ, vti pridie inter Suam Serenitatem & illos conuenerat, admodum frequẽtes adfuere: ac primum Eccleſiaſtici ſeorſum, Sereniſſimo Principi ab re diuina redeunti victoriam gratulati, ſupplicem libellum porrexerunt, quo poſtulabant non ſolum, vt in tutelam Cæſaris reciperentur, ſed obnixè precabantur, vt ademta ab Ordinibus bona Eccleſiaſtica ſibi reſtituerentur. Quibus Sereniſſimus reſpondit ſe poſtulatorum apud Cæſarem memorem fore, & ſupplicem libellum, quò par eſſet, miſſurum. Ingreſſi dein in conclaue Suæ Serenitatis politici ex Catholicis Ordines Barones, equites & nobiles, teſtati ſunt, rogarúntq; vt Sua Serenitas apud Sac. Cæſ. Maieſt. vbi de ſtatu Bohemiæ relatura eſſet, ſingularem eius teſtificationis mentionem faceret, quicquid ab ſe contra S. Cæſ. Maieſt. ab Ordinibus peccatum patratúmq; eſſet, id ab ſe inuitis & coactis factum eſſe. de cætero ſe nunquam quicquam aduersùs Cæſarem per ſe molitos, ſemper in eius obſequio & obedientia perſeuerаſſe. Quibus idẽ ferè reſponſum, ſicut de Eccleſiaſticis modò dictum eſt. Tum deinde quæſitũ ex reliquis Bohemiæ Ordinibus qui frequentiſſimi aderant, an ſecum autographa publicorum inſtrumentorum, quibus ſocietatem & fœdera cũ exteris prouinciis inita teſtati eſſent, in promtu & manibus haberent? iam hoc ipſum agi ab ipſis, & omnes tabulas

tabulas conquiri, affirmarunt, ſimúlque Suam Serenitatem docuerunt, eſſe ex Ordinibus multos, qui ſe Euangelicos dicerent, & nihil cum Anabaptiſtis, Picardis Fratribus & Caluiniſtis negotij aut ſocietatis haberent, quibus hæ ab Cæſare defectiones, tumultus, & inteſtinæ diſcordiæ nunquam placuiſſent. Multa ab aliis Ordinibus clam actitata factáq;, quorum ipſi nunquam cõſcij fuiſſent. Quamobrem rogare illos Suam Serenitatem vti ſeorſum audiãtur, vbi ſuam innocentiam Suæ Serenitati copioſè ꝓbaturi eſſent. Quibus Ser.mus renunciari iuſſit, ſe illis vel illo ipſo die, niſi tẽporum anguſtiis excluderetur, operã daturum, vel certè poſtridie, ſi poſt rem diuinam adeſſent.

Inter hæc Buquoyus & Princeps Liechtenſtainius qui ad hunc actum à Ser.mo Principe euocati erant, ab ipſius Serenitate auditi, dein ipſis præſentibus admiſſi ſunt Ordines Bohemiæ, inſtrumenta & literas autographas ſubſcriptis nominibus & ſignis appenſis Suę Serenitati repręſentarunt. Erant tabulæ ſex; inter quas teſtes initi fœderis cum Bethlemo Gabore, cum prouincia Anaſſiana ſuperioris Auſtriæ, cum Sileſiis & Morauis, cum vtriſque Luſatiis, omnes autographæ ſubſcriptæ & ſignatæ fuere. Tum Ordines quæ pridie per Popelium præfati erant, iterarunt, quibus pari modo prætor Landishutanus Preiſingius vt antè reſpondit. Exin prælecta eſt Ordinibus iuriſiurandi formula, qua ſe nouo ſacramento Cæſari addixerunt & ſubiecerunt: cuius formulę ſententia hęc erat: *Fateri omnes Ordines grauiter ab ipſis erratum & peccatum eſſe, quòd ab Cæſare Ferdinando II. legitimo ſuo & hæreditario, coronato, inuncto & ab Imperio in fidem accepto rege defecerint, & in illum inſurrexerint. Hoc ab ipſis factum dolere, factúmque nolle, ac deinceps*

1620. *deinceps neminem alium, quam ſuam Sac. Cæſ. & regiam Maieſt. Ferdinandum II pro ſuo legitimo, vero, iuſto Bohemiæ rege recognituros, accepturos, culturos, & obſeruaturos, eique in omnibus obſequium & obedientiam (velut officium ab fidis, probis & obſequentibus ſubiectis & clientibus exigeret,) præſtaturos, omnibus aliis promiſſis, iureiurandis, fœderibus, ſocietatibus Cæſari contrariis, quomodocunque & cum quibuſcumcunq; contractis, & initis, renunciando, cõtradicendo, & abolendo, id quod iam de integro protenſis digitis ſolenni iuramento teſtaturi eſſent; & tabulas etiam huius iuriſiurandi, ſiue literas reuerſales, quod hæc omnia executuri ſint, teſtes, intrà quartam & vigeſimam horam chirographo ſubſcriptas & ſignatas Sereniſſimo exhibere velint.*

Formula porrò ipſa priuſquam conceptis verbis iurarent, inſcripto illis tradita eſt, vt illam recognoſcerent, & Bohemica Germanicáque lingua publicè prælecta. Tum demum ſolenne iuſiurandum porrectis digitis ab omnibus Ordinibus præſtitum eſt, qui formulam ab præeunte lectore pronunciatam ſecuti, ad verbum pronunciarunt. Sed hoc ſignatè hîc obſeruandum, verbum hoc in formula expreſſum (quo Cæſar Ferdinandus II. Rex hæreditarius pronunciatur) ab Ordinibus ſine vlla tergiuerſatione aut contradictione aut dubitatione acceptum atque iuratum fuiſſe: & ipſum iuſiurandum quemadmodum è ſcripto recitabatur, & in acta relatum eſt, ſine vlla conditione, exceptione, hæſitatione, datum editúmque. Quin & formulam ipſam dati iuriſiurandi literis comprehenſam & chirographis ſiue literis reuerſalibus, vt appellant, & ſigniſteſtatam, cuius copia hodie in tabulario Sereniſſimi ſeruatur, Cæſari repræſentandem Sereniſſimo Principi in autographo exhibuerunt.

Eodem

Eodem die Iduum Nouemb. cum Sua Serenitas didiciſſet regium Bohemiæ diadema cum gemmarum theſauro, in curiam veteris Pragæ translatum, Ordinibus præcepit, vt illud in priſtinum locum vbi D. Wenceslai ſacrarium in ſummo templo erat, referrent, quod ſe quamprimum facturos receperunt, adeóq; illa ipſa die, qua Sereniſſimus in Boiariam ex vrbe diſceſſit, in ſacrarium repoſuerunt. 1620. 13. Nou.

Septimo decimo Calend. Decembres duo ex Britannia legati apud Suam Serenitatem de pace componenda egerunt, quærendam aliquam viam, qua inter Cæſarem, reges, & Principes pax conueniret. Sed cum ſingillatim nihil adferrent, quo modo res tractanda foret, Sua Serenitas generatim, quæ res poſtulabat, reſpondit. 15. Nou.

Tum Sereniſſimus Princeps ſuis aulæ officiis & miniſtris profectionem in alterum diem indixit, ſuóque loco quoad Cæſar alios deſignaret, Principem Liechtenſtainium regni vicarium & præſidem Bohemis dedit, qui ab alijs nondum iureiurando adſtrictis, fidem pari modo exigeret: cui Tillium cum maiore parte copiarum præſidio eſſe iuſſit. Miſit quoque ad Saxoniæ Principem Imperij VII. virum, qui ſuam illi poſt deuictam Bohemiam, reditionem in ſuam prouinciam, ſignificaret, ſimulque doceret Tillium legatum cum aliquot legionibus Pragæ relictum in mandatis habere, vt ſi legionibus illis & Tillij opera vel ſubſidio egeret, petere nihil dubitaret, Tillium ſubitò cum ſuis cohortibus ad Suam Celſitudinem aduolaturum.

Poſtridie impedimentis præmiſſis Sereniſſimus varias literas ad varios dedit, ea quæ ad Cæſarem erant mit-

miam poſtridie remiſit. Dederat etiam negotium certis hominibus dum adhuc Pragæ eſſet, paulò ante diſceſſum, vti quamprimum ipſe Boicā ingrederetur, cum curribus præſtò eſſent, quo expeditius Monachium reueheretur. Deduxit etiam ex opido Furta Eſchelkaimio & vicinis locis, quæ in Boiaricæ finibus ſitæ ſunt, præſidia, quæ ex popularibus conſtabant, ac domum quémque ſuam dimiſit. Impedimenta quæ properantem Principem aſſequi non poterant, paullatim per Viechtachium & Straubingam ſequi iuſsit. 1620.

Ipſe Sereniſsimus altero & vigeſimo Nouembris prima luce inde digreſſus, quinto & vigeſimo Monachium ſaluus & incolumis rediit, Deóque, cuius præſentem opem ſenſerat, victoriam tantam, tam inexpectatam & inuſitatam gratulatus, meritò ſoli in acceptis retulit & aſſignauit.

FINIS.

SVMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

1620.

NOs Ferdinandus II. Dei gratia electus Romanorum Imperator &c. renouamus, extendimus, & damus Raphaëli Sadeler hoc priuilegium ex Cæſarea poteſtate, ne quiſquam intra decennium illorum imagines antehac ſeu maiore ſeu minore forma æri inciſas & excuſas, ſeu libris etiam inſertas, ſeu poſthac ab ipſo & filijs eius incidendas & edendas, quacunque forma imitando, ſeu æri incidendo, ſeu ligneis typis inſcribendo, ſeu quomodocunque adumbrando, vel è libris eius petendo, vel vnà cum libris, quà totis, quà diuiſis, vel alijs operibus permiſcendo imprimat, edat, vel excudat ſub interminatione indignationis noſtrę Cęſareę Maieſtatis & pœna duodecim pondo puri puti auri, partim in fiſcum Cæſaris redigendi, partim ipſi Sadelero & filijs eius ſine vlla remiſſione ſoluendi, operiſque totius ſimul amittendi.

Ferdinandus

A01 1473366



SVMMA PRIVILEGII
CÆSAREI

NAPO

SVMMA PRIVILEGII

LIOTECA NAZION

SVMMA PRIVILEGII



SVMMA PRIVILEGII

B 41.

BIBL
VIND

Digitized by Google